L. APVLEI MADAVRENSIS,

Philosophi Platonici

APOLOGIA,

Recognita, & nonnullis Notis, *ac* Obseruationibus *illustrata*

A

IOANNE PRICÆO

Anglo-Britanno.

Accesserunt Antiquitatum fragmenta quædam æri incisa.

PARISIIS,
Apud SIMONEM FEVRIER, ad primam Columnam Magnæ Aulæ Palatij.

M. DC. XXXV.

Viro Nobilissimo,

HENRICO HOVVARDO,

BARONI DE MATRAVERS:

THOMÆ, EXCELLENTISSIMI ARVNDELIÆ & SVRRIÆ *Comitis, (Angliæ primarij, & Marescalli,) Filio maiori.*

ILLVSTRISSIME BARO,

DOMINE MI COLENDISSIME:

NON facilitas tua, non fiducia mei, in nomen tuum mihi inuolando fuit, studium publicandi autem in me ius tuum, erga Te obsequium meum. Triennium est (conciliatore Pettæo, principe familiari tuo,) quòd Tu longæ Nobilitatis Vir, me inter clientes tuos non inuitus numeras,

quin & animum, adeóque affectum in commoda mea adnixiorem indicas. Ego interim inani honore Te prosequutus sum, neque aliter quàm passiuis, vel enim tabernarijs verborum phaleris, inutilem ac otiosum cultum commendaui Tibi. Quod quùm sæpiùs, & quidem anxiè recolerem, neque ea temporum meorum esset fælicitas, vt nobilius obseruantiæ specimen exhibere possem, censui elaborandum mihi vt hoc ipsum aliquà efficacius redderem: & dum aliud ob angustiam sortis offerendi facultas non suppeteret, saltem illud ita artificio mutatum darem, vt pro alio esset. Verba itaque Vir Illustrissime, etiam nunc offero, at non volantia; pinnas in aërem soluturas ea, detraxi planè: certè atramenti visco alligatas, chartæ affixi, stabilius promptiusque erga Te pignus gratitudinis meæ. Si Te rogem vt libenter suscipias, videar ignarus Tibi, qui quamuis perexiguum sit hoc muneris, minora mea non accepisti tan-

tùm, ſed & in omnes ita humanitatem exerces, quaſi Te altiùs tantò ſubuecturum ſentias, quantò deſcenderis longiùs infra dignitatem tuam. Ergo in ſpectatum candorem non peccabo, nec committam vt quem in omni tempore adeò indulgentem expertus ſum, timeam me impræſentiarum difficilem habiturum. Hoc obteſtandus vnum es, idque enixiſſimè: vt ne vti Te offenſo liceat, dum in auguſtarum Imaginum tuarum penetralia profanus ruo, & ſecreta ſanctiſſimarum Antiquitatum, paucis vel è Myſtis explorabilia, infans & ἀμύητος audeo ediſſerere. Dignum eſt hoc facinus veniâ tuâ, quodquè impunitum ἐνήσιαν ἄμαχον indicabit, quùm te oſtenderis clementiam tuam commendare poſſe, non ad audaciam tuos Titulos ſollicitantem, ſed & ad Numinum violata iura, & ſacrilegium. Quod ſupereſt, Baro ſplendidiſſime, faue beneficijs tuis: quemquè reſpicere atque ornare dignatus es, fouere perge: ita omnia

quæ proficiſci à me officia poſſunt, ſummo iure vindicabis, & quùm omnia quæ potero, ſoluerim Tibi, vſque voti me reum habebis.

Scribebam Pariſiis Idib Februar. M.DC. XXXV.

Cliens

prælustri Amplitudini

tuæ addictiſsimus,

Joannes Pricæus.

EX LIB. VIII D. AVRELII AVGVSTINI *de Ciuitate Dei*, Capite XIX.

POstremò ipse Apuleius, numquid apud Iudices Christianos de magicis artibus accusatus est? quas vtique sibi objectas si diuinas & pias esse nouerat, & diuinarum potestatum operibus esse congruas, non solùm eas confiteri debuit, sed etiam profiteri: leges culpans potiùs, quibus hæc prohiberentur, & damnanda putarentur, quę haberi miranda & veneranda oporteret. Ita enim vel sententiam suam persuaderet Iudicibus, vel si illi secundum iniquas leges saperent, eumque talia prędicantem atque laudantem morte mulctarent, digna animę illius Dęmones dona rependerent. pro quorum diuinis operibus prędicandis, humanam vitam sibi adimi non timeret.

ISAACI CASAVBONI, Viri Grauissimi, in Epistolâ ad Iosephum Scaligerum, pręfixâ huius Libri Editioni suę, de Authore nostro, & hoc ipso scripto eius, Elogium.

NIsi illorum opinioni accedimus, qui totius Latinitatis fines, sex septem Auctorum scriptis contineri putant, quid est cur hic liber lectione ac studio nostro indignus esse videatur? nam equidem sic censeo, post tempora Antoninorum, vix quidquam aliud extare hodiè magis πεπινωμένον, magis comptum, magis denique Latinum. Aut dicat mihi aliquis vbi maior quàm in hoc tantulo, & eo quidem forensi scripto, eruditionis non protritæ copia. quàm eleganter, quàm doctè loci hîc aliquot è Philosophiâ tractantur? quantum in sententijs acumen? quanta in dictione, vt ijs tempori-

bus & locis castitas? Non hîc mihi quisquam reperiat vllos τῶν ὀνομάτων ὄγκους, & tumores vanos, aut argutiolas ineptas: non vllas verborum sordes: quę maximâ orationis vitia plerisque omnibus eius sæculi Authoribus, & qui deinceps insecuti, fato quodam Eloquentię & Imperij Romani simul ruentium adhęsêre. At erunt fortasse qui non verborum, sed rerum crimina obiectent: quippe Apologiam hanc, à famoso olim Mago pro defensione Magię scriptam, ab oculis conspectuque nostro esse reijciendam; more multorum videlicet facient, vt ea damnent quę nunquam legerint, si qui ita sibi persuadebunt. Nos contra, non defensionem hanc esse Magię, sed grauißimam eiusdem accusationem, audenter affirmamus. Quid enim aliud hinc colligas, quàm fuisse omnibus semper sani iudicij hominibus curiosas artes improbatas, & legibus vetitas? ni ita sit, nunquam profectò (vt doctè sanctißimus vir Augustinus disputat) tantâ contentione, tantóque opere id crimen, ceu omnium maximum, à se Author disertißimus amolitum ißet.

L. APVLEI

MADAVRENSIS, PHILOSOPHI PLATONICI Apologia.

CERTVS equidem eram, próque vero obtinebam, Maxime Claudi, quíque in concilio estis, Sicinium Æmilianum, senem notissimæ temeritatis, accusationem mei prius apud te cœptam, quàm apud se cogitatam, penuria criminum, solis conuicijs impleturum. Quippe insimulari quiuis innocens potest, reuinci, nisi nocens, non potest. Quo ego vno præcipuè confisus, gratulor medius fidius, quòd mihi copia & facultas, te iudice, obtigit, purgandæ apud imperitos Philosophiæ, & probandi mei. Quamquam istæ calumniæ, vt prima specie graues, ita ad difficultatem defensionis repentinæ fuêre. Nam, vt meministi, dies abhinc quintus an sextus est, cùm me causam pro vxore mea Pudentilla aduersus Granios agere aggressum, decomposito, nec

opinantem, patroni eius incessere maledictis, & insimulare Magicorum maleficiorum, ac denique necis Pontiani priuigni mei cœpêre. Quæ ego cùm intelligerem, non tam crimina iudicio, quàm obiectamenta iurgio prolata; vltrò eos ad accusandum crebris flagitationibus prouocaui. Ibi verò Aemilianus, cùm te quoque acriùs motum, & ex verbis rem factam videret; quærere occępit ex diffidentiâ latibulum aliquod temeritati. Igitur Pontianum fratris sui filium, quum paulò priùs occisum à me clamitaret: postquam ad subscribendum compellitur, illicò oblitus est de morte cognati adolescentis, subitò tacens tanti criminis descriptionem. Tamen ne omnino desistere videretur, calumniam Magiæ, quæ faciliùs infamatur quàm probatur, eam solùm sibi delegit ad accusandum. Ac ne id quidem de professo audet: verùm postera die dat libellum, nomine priuigni mei Sicinij Pudętis admodum pueri: & ascribit, se ei assistere, nouo more per aliū lacessendi: scilicet vt obtentu eius ætatulæ, ipse insimulationis falsæ non plecteretur. Quod cùm tu solertissimè animaduertisses, & iccirco eum denuò iussisses proprio nomine accusationem delatam sustinere; pollicitus ita facturum, ne sic quidem quitus est. Vbi vt cominus ageret propellis; etiam aduersum te contumaciter eminus calumniis velitatur. Ita toties ab accusandi periculo profugus, in assistendi venia perseuerauit. Igitur &

priuſquam cauſa ageretur, facile intellectu cuiuis fuit, qualisnam accuſatio futura eſſet, cuius qui fuerat profeſſor & machinator, idem fieri auctor timeret: ac præſertim Sicinius Aemilianus: qui ſi quippiam veri in me exploraſſet, numquam profectò tam contanter hominem extraneum, tot tantorúmque criminum poſtulaſſet: qui auunculi ſui teſtamentum, quod verum ſciebat, pro falſo infamarit, tanta quidem pertinacia, vt cùm Lollius Vrbicus V. C. VERVM VIDERI, ET RATVM ESSE DEBERE, de conſilio conſularium virorum pronuntiaſſet; contra clariſsima voce iurauerit vecordiſſimus iſte tamen, illud teſtamentum fictum eſſe, adeò vt ægrè Lollius Vrbicus ab eius pernicie temperarit. Quam quidem vocem, & tua æquitate & mea innocentia fretus, ſpero in hoc quoque iudicio erupturum: Quippe qui ſciens innocentem criminatur: eò ſanè faciliùs, quòd iam vt dixi, mentiens apud præfectum Vrbis in ampliſſima cauſa cõuictus eſt. Namque peccatum ſemel, vt bonus quiſque poſtea ſollicitiùs cauet: ita qui ingenio malo eſt, confidentiùs integrat; ac iam de cætero, quo ſæpius, eo apertius delinquit. Pudor, enim, veluti veſtis, quanto obſoletior eſt, tanto incurioſius habetur. Et ideò neceſſarium arbitror pro integritate pudoris mei, priuſquam ad rem aggrediar, maledicta omnia refutare. Suſtineo enim non modò meam, verùm etiam Philoſophiæ de-

fensionem, cuius magnitudo vel minimam repræhensionem proximam crimini aspernatur: propter quod paulo priùs patroni Æmiliani multa in me propriè conficta, & alia communiter in philosophos ficta ab imperitis, mercenaria loquacitate effutierunt. Quæ etsi possunt ab his futiliter blatterata ob mercedem & auctoramenta impudentiæ, deprehensa haberi, iam concesso quodam more rabulis id genus, quo ferinæ solent linguæ suæ virus alieno dolori locare, attamen vel mea caussa paucis refellenda sunt: ne is, qui sedulò laboro vt ne quid maculæ aut inhonestamenti in me admittam, videar cuipiam, si quid ex friuolis prætериero, id agnouisse potiùs quàm contempsisse. Est enim prudentis animi & verecundi, vt mea opinio fert, vel falsa vituperatione grauari; cum etiam hi qui sibi delicti alicuius conscij sunt, tamen cùm malè audiunt, impendiò commoueantur, & obirascantur. quamquam exinde vt malefacere cœperunt consueuerint malè audire. Quod si à cæteris silentium est: tamen ipsi sibimet conscij sunt, posse se meritò increpari. Enimuerò bonus & innoxius quisque, rudis & imperitas aureis ad malè audiendum habens, & laudis assuetudine quanto contumeliæ insolens, multo tanto ex animo laborat, ea sibi immeritò dici, quæ ipse possit aliis verè obiectare. Quòd si fortè inepta videbor, & oppidò friuola velle defendere, illis debet ea res vitio

verti, quibus turpe eſt etiam hæc obiectaſſe: non mihi culpæ dari, cui honeſtum erit etiam hæc diluiſſe. Audiſti ergo pauló priùs, in principio accuſationis ita dici: *Accuſamus apud te philoſophum formoſum, & tam Græcè quàm Latinè*, proh nefas! *diſertiſsimum*. Niſi fallor enim, his ipſis verbis accuſationem mei ingreſſus eſt Tannonius Pudens, homo verè ille quidem non diſertiſſimus. Quòd vtinam tam grauia formæ & facundiæ crimina verè mihi opprobraſſet. non difficile ei reſpondiſſem, quod Homericus Alexander Hectori:

Οὔ τι ἀπόβλητ' ἐστὶ θεῶν ἐρικύδεα δῶρα
Ὅσσα κεν αὐτοὶ δῶσιν, ἑκὼν δ' οὐκ ἄν τις ἕλοιτο.

Hæc ego de forma reſpondiſſem. prætereà, licere etiam philoſophos eſſe vultu liberali. Pythagoram, qui primùm ſeſe philoſophum nuncuparit, eum ſui ſæculi excellentiſſimâ formâ fuiſſe: item Zenonem illum antiquum Velia oriundum, qui primus omnium dictionem ſolertiſſimo artificio ambifariam diſſoluerit, eum quoque Zenonem longè decoriſſimum fuiſſe, vt Plato autumat. Itemque multos philoſophos ab ore honeſtiſſimos memoriæ prodi, qui gratiam corporis motum honeſtamentis ornauerunt. Sed hæc defenſio, vt dixi, aliquammultum à me remota eſt: cui, præter formæ mediocritatē, continuatio etiam litterati laboris omnem gratiam corpore deterget, habitudinem tenuat, ſuccū exorbet, colorem ob-

litterat, vigorem debilitat. Capillus ipse, quem isti aperto mendacio ad lenocinium decoris promissum dixêre, vides quàm non sit amœnus ac delicatus, horrore implexus atque impeditus, stuppeo tormento assimilis, & inæqualiter hirtus, & globosus, & congestus: prorsus inenodabilis diutinâ incuriâ, non modò comendi, sed saltem expediendi & discriminandi. Satis, vt puto, crinium crimen quod illi quasi capitale intenderunt, refutatum est. De eloquentia verò, si qua mihi fuisset, neque mirum, neque inuidiosum deberet videri, si ab ineunte æuo vnis studiis litterarum ex summis viribus deditus, omnibus aliis spretis voluptatibus, ad hoc æui, haud sciam anne super omneis homines impenso labore, diúque noctúque, cum despectu & dispendio bonæ valetudinis, eam quæsissem. Sed nihil ab eloquentia metuant, quam ego, si quid omnino promoui, potius spero quàm præsto. Sanè quidem si verum est, quod Statium Cæcilium in suis poëmatibus scripsisse dicunt, *Innocentiam eloquentiam esse*, ego verò profiteor ista ratione, ac præ me fero, nemini omnium de eloquentia concessurum. Quis enim me hoc quidem pacto eloquentior viuat? quippe qui nihil vmquã cogitaui, quod eloqui non auderem. Eundem me aio facundissimum: nam omne peccatum semper nefas habui. Eumdem disertissimum: quòd nullum meum factum vel dictũ extet, de quo disserere publicè non

possim. ita vt iam de versibus dissertabo, quos à me factos quasi pudendos protulerunt: cùm quidem me animaduertisti cum risu illis succensentẽ, quod eos absonè & indoctè pronuntiarent. Primò igitur legerunt è Ludicris meis epistolium de dentifricio, versibus scriptum ad quendam Calpurnianum: qui cùm aduersum me eas literas promeret, inuidit profectò cupiditate lædendi, si quid mihi ex illis fieret criminosum, id mihi secum esse commune. Nam petisse eum à me aliquid tersui dentium, versus testantur:

Calpurniane salue properis versibus:
Misi, vt petisti, mundicinas dentium
Nitelas oris ex Arabicis frugibus,

(Nisi fortè in eo reprehendendus sum, quòd Calpurniano puluisculum ex Arabicis frugibus miserim: quem multo æquius erat, spurcissimo ritu Hiberorum, vt ait Catullus, --sua sibi vrina
Dentem atque russam pumicare gingiuam.)

Tenuem, candificum, nobilem puluisculum,
Complanatorem tumidulæ gingiuulæ,
Conuerritorem pridianæ reliquiæ,
Nequa visatur tetra labes sordium,
Restrictis fortè si labellis riseris.

Quæso quid habẽt isti versus re aut verbo pudendum? quid omnino quod philosophus suum nolit videri? Vidi ego dudum vix risum quosdam tenentes, cùm mundicias oris videlicet, orator ille

aſperè accuſaret, & dentifricium tanta indignatione pronuntiaret, quanta nemo quiſquã venenum. Quid ni? crimen haud contemnẽdum philoſopho, nihil in ſe ſordidum ſinere, nihil vſpiam corporis apertum, immundum pati ac fœtulentum: præſertim os, cuius in propatulo & conſpicuo vſus homini creberrimus: ſiue ille cuipiam oſculum ferat, ſeu cum quoquam ſermocinetur, ſiue in auditorio diſſertet, ſiue in templo preces alleget. omnem quippe hominis actum ſermo præit: qui, vt ait poëta præcipuus, è dentium muro proficiſcitur. Dares nunc aliquem ſimiliter grandiloquum: diceret ſuo more, cumprimis cui vlla fandi cura ſit, impenſiùs cætero corpore os colendum, quòd eſſet animi veſtibulum, & orationis ianua, & cogitationum comitium. Ego certè pro meo captu dixerim, nihil minus quàm oris illuuiem libero & liberali viro competere. Eſt enim ea pars hominis loco celſa, viſu prompta, vſu fœcunda. Nam quidem feris & pecudibus os humile, & deorſum ad pedes deiectum, veſtigio & pabulo proximum, nũquam fermè niſi mortuis, aut ad morſum exaſperatis, conſpicitur: hominis verò nihil prius tacentis, nihil ſæpius loquentis, contemplêre. Velim igitur cenſor meus Æmilianus reſpondeat, vnquamne ipſe ſoleat pedes lauare? vel ſi id non negat, contendat maiorem curam mundiciarum pedibus, quàm dentibus impertiendam.

Planè

Planè quidem, si quis ita vt tu Æmiliane, numquam sermè os suum nisi maledictis & calumniis aperiat, censeo, ne vlla cura os percolat, neque ille exotico puluere denteis emaculet, quos iustius carbone de rogo obtriuerit: neque saltem communi aqua perluat, quin ei nocens lingua mendaciorum & amaritudinum præministra, semper in fœtutinis & olenticetis suis iaceat. Nam quæ, malùm, ratio est, linguam mundam & lotam, vocem contrà spurcam & tetram possidere? viperæ ritu, niueo denticulo atrum venenum inspirare? Cæterùm qui sese sciat rationem prompturum neque inutilem neque iniucundam, eius meritò os, vt bono potui poculum, prælauitur. Et quid ego de homine nato diutius? Belua immanis crocodilus ille qui in Nilo gignitur, ea quoque, vti comperior, purgandos sibi denteis innoxio hiatu præbet. Nam quòd est ore amplo, sed elingui, & plerumque in aqua recluso, multæ arundines dentibus implectuntur: eas illi, cùm egressus in prærìpia fluminis hiauit, vna ex auibus fluuialibus amica auis, iniecto rostro sine noxæ periculo exscalpit. Mitto hæc. venio ad cæteros versus, vt illi vocant, amatorios: quos tamen tam durè & rusticè legêre, vt odium mouerent. Sed quid ad magica maleficia, quod ego pueros Scribonij Lætì, amici mei, carmine laudaui? An ideo Magus quia poëta? Quis vmquam fando audiuit tam similem suspicionem? tam

aptam coniecturam? tam proximum argumentum? Fecit versus Apuleius: si malos, crimen est, nec tamen id philosophi, sed poëtæ: sin bonos, quid accusas? At enim ludicros & amatorios fecit. Num ergo hæc sunt crimina mea, & nonne erratis, qui me magiæ detulistis? Fecêre tamen & alij talia: &(si vos ignoratis), apud Græcos Teius quidam, & Lacedæmonius, & Ceus, cum aliis innumeris: & mulier Lesbia, lasciuè illa quidem, tantáque gratia, vt nobis insolentiam linguæ suæ, dulcedine carminum commendet: apud nos verò, Æditüus, & Portius, & Catullus: isti quoque cum aliis innumeris. At philosophi non fuere. Num igitur etiam Solonem fuisse serium virum, atque philosophũ negabis? cuius ille lasciuissimus versus est:

Μηρῶν ἱμείρων, καὶ γλυκεροῦ στόματος.

Et quid tam petulans habent omnes versus mei, si cum isto vno contendantur? vt taceã scripta Diogenis Cynici, & Zenonis Stoicæ sectæ conditoris. Id genus pluria recitem denuò, vt sciant me eorum non pigere.

Et Critias mea delicia & lux alme Charine.
Pax in amore meo vita tibi remanet.
Ne metuas: nam me ignis & ignis torreat vt vult:
Hasce duas flammas, dum potior, patiar.
Hoc modò sim vobis, vnus sibi quisque quod ipse est:
Hoc mihi vos eritis, quod duo sunt oculi.

Recitem nunc & alios, quos illi, quasi intemperan-

tissimos, postremùm legêre:

Florea serta, meum mel, & hæc tibi carmina dono
Carmina dono tibi, serta tuo genio:
Carmina, vti Critia lux hæc optata canatur,
Quæ bis septeno vere tibi remeat,
Serta autem, vt læto tibi tempore tempora vernent:
Ætatis florem floribus vt decores.
Tu mihi da contrà pro verno flore tuum ver,
Vt nostra exuperes munera muneribus.
Pro implexis sertis, complexum corpore redde:
Próque rosis, oris suauia purpurei.
Quod si animum inspires, dona & iam carmina nostra
Cedent victa tuo dulciloquo calamo.

Habes crimen meum, Maxime, quasi improbi comissatoris, de sertis & canticis compositum. Hîc illud etiam reprehendi animaduertisti, quòd cùm aliis nominibus pueri vocētur, ego eos Charinum & Critiam appellitarim. Eâdem igitur operâ accusent C. Catullum, quòd Lesbiam pro Clodia nominarit: & Ticidam similiter, quod quæ Metella erat, Perillam scripserit: & Propertium, qui Cynthiam dicat, Hostiam dissimulet: & Tibullũ quod ei sit Plania in animo, Delia in versu: Equidem C. Lucullum, quamquam sit Iambicus, tamen improbarim, quod Gentium & Macedonem pueros directis nominibus carmine suo prostituerit. Quanto modestius tandem Mantuanus poëta, qui itidem vt ego, puerum amici sui Pollionis bucoli-

co ludicro laudans, & abstinẽs nominum, sese quidem Corydonem puerum, verò Alexin vocat? Sed Æmilianus, vir vltra Virgilianos opiliones & bubsequas rusticanus, agrestis quidem semper & barbarus, verùm longè austerior, vt putat, Serranis & Curiis & Fabriciis, negat id genus versus Platonico philosopho competere. Etiámne Æmiliane, si Platonis ipsius exemplo doceo factos? cuius nulla carmina extant, nisi amoris elegia: nam cætera omnia, credo quòd tam lepida non erant, igni deussit. Disce igitur versus Platonis philosophi in puerum Astera: si tamen tantus natu potes literas discere.

Ἀστέρας εἰσαθρεῖς, Ἀστὴρ ἐμός, εἴθε γενοίμην
Οὐρανὸς, ὡς πολλοῖς ὄμμασιν εἰς σὲ βλέπω.

Astra vides, vtinam fiam, mi sidus, Olympus,
Vt multis sic te luminibus videam.

Ἀστὴρ πρὶν μὲν ἔλαμπες ἐνὶ ζωοῖσιν ἑῷος,
Νῦν δὲ θανὼν λάμπεις Ἕσπερος ἐν φθιμένοις.

Lucifer ante meus rutilans mortalibus Aster,
Hesperus à fato manibus ecce nites.

Item eiusdem Platonis, in Alexin Phædrúmq; pueros, in coniuncto carmine:

Νῦν ὅτε μηδὲν Ἄλεξις ὅσον μόνον εἶφ' ὅτι καλὸς
Ὦπται, καὶ πάντῃ πᾶς τις ἐπιστρέφεται.
Θυμὲ, τί μηνύεις κυσὶν ὀστέον, εἶτ' ἀνιήσεις
Ὕστερον; οὐχ οὕτω Φαῖδρον ἀπωλέσαμεν;

Dixerit hic tantum cùm nil nisi pulcer Alexis
Extitit, & vertunt quilibet in te oculos.

Cur animeos canibus monſtras, aficiſque dolore
Poſtmodò? non Phædrum ſic prius amiſimus?

Et, ne plures commemorem, nouiſſimum verſum eius de Dione Syracuſano ſi dixero, finem faciam.

Κεῖσαι δ' εὐρυχόρῳ ἐν πατρίδι, τίμιος ἀστοῖς,
ὦ ἐμὸν ἐκμήνας θυμὸν ἔρωτι Δίον,

Ciuibus ingenti in patria laudate iaces nunc,
Qui inſanum me animi reddis amore Dion.

Sed ſumne ego ineptus, qui hæc etiam in iudicio? an vos potius calumnioſi, qui etiam hæc in accuſatione? quaſi vllum ſpecimen morum ſit verſibus ludere. Catullum ita reſpondentem maliuolis non legiſtis?

Nam caſtum eſſe decet pium poëtam
Ipſum, verſiculos nihil neceſſe eſt,

Diuus Hadrianus, cùm Voconij amici ſui poëtæ tumulum verſibus veneraretur, ita ſcripſit:

Laſciuus verſu, mente pudicus eras.

Quod nunquam ita dixiſſet, ſi forent lepidiora carmina argumentum impudicitiæ habenda. Ipſius etiam diui Hadriani multa id genus legere me memini. Audeſne igitur Æmiliane dicere malè id fieri, quod Imperator, & Diuus, & Cenſor Hadrianus fecit, & factum memoriæ reliquit? Cæterùm Maximum quidquam putas culpaturũ, quod ſciat Platonis exemplo à me factum? Cuius verſus, quos nunc percenſui, tanto ſanctiores ſunt, quanto apertiores; tanto pudicitius cõpoſiti, quanto ſimplicius

professi, Namque & id genus omnia dissimulare & occultare, peccantis: profiteri & promulgare, ludentis est. Quippe natura vox innocentiæ, silentiũ maleficio distributa. Mitto enim dicere alta illa & diuina Platonica, rarissimo cuique piorum gnara, cæterùm omnibus profanis incognita: geminam esse Venerem deam, proprio quamq; Amore & diuersis amatoribus pollẽteis. Earum alteram Vulgariam, quæ sit percita populari Amore, non modò humanis animis, verùm etiam pecuinis & ferinis ad libidinem imperitare, vt immodico trucíque perculsorum. animalium serua corpora complexu vincientem: alteram verò Cælitem Venerem, prædita quæ sit optimati Amore, solis hominibus, & eorum paucis curare, nullis ad turpitudinem stimulis vel illecebris sectatores suos percellentem. Quippe eius amore non amœnum & lasciuum, sed contrà incomptum & serium, pulcritudine honestatis, virtutis amatoribus suis cõciliare; & si quando decora corpora commendet, à contumelia eorum procul absterrere. Neque enim quidquam aliud in corporum forma diligẽdum, quàm quòd admoneat diuinos animos eius pulcritudinis, quam priùs veram & sinceram inter Deos videre. Quapropter, vt semper, eleganter Afranius hoc scriptum reliquit,

Amabit sapiens, cupient cæteri.

Attamen si audire verum velis Æmiliane, vel si hæc intelligere vnquam potes: non tam amat sa-

piens, quàm recordatur. Da igitur veniam Platoni philoſopho verſuum eius de amore, ne ego neceſſe habeam, contra ſententiam Neoptolemi Enniani, pluribus philoſophari: vel ſi tu id nó facis, ego me facilè patiar in huiuſmodi verſibus culpari cu Platone. Tibi autem Maxime habeo gratiam propenſam, cùm has quoque appédices defenſionis meæ, idcirco neceſſarias. quia accuſationi rependuntur, tam attentè audis: & ideo hoc etiam peto, quod mihi ante ipſa crimina ſupereſt, audias, vt adhuc feciſti, libenter & diligenter. Sequitur enim de Speculo longa illa & cenſoria oratio: de quo pro rei atrocitate pænè diruptus eſt Pudens, clamitans: *Habet ſpeculum philoſophus, poßidet ſpeculũ philoſophus.* Vt igitur habere concedam, ne aliquid obieciſſe te credas, ſi negaro: non tamen ex eo accipi me neceſſe eſt exornari quoque ad ſpeculum ſolere. Quid enim ſi choragium thymelicum poſſiderem, num ex eo argumentarêre etiam vti me conſueſſe tragœdi ſyrmate hiſtrionis: crotalóue ad Trietérica Orgia, aut mimi centunculo? Non opinor. Nam & contrà plurimis rebus poſſeſſu careo, vſu fruor. Quod ſi neque habere vtendi argumentum eſt, neque non vtendi non habere: & ſpeculi non tam poſſeſſio culpatur, quàm inſpectio, illud etiam doceas neceſſe eſt, quando, & quibus præſentibus, in ſpeculum inſpexerim, quoniam, vt res eſt, maius piaculum decernis, ſpeculum philoſopho,

quàm Cereris mũdum profano videre. Cedo nunc, etsi inspexisse me fateor, quod tandem crimen est imaginem suam nosse; eámque non vno loco conditam, sed quoquò velis paruo speculo promptam gestare? An tu ignoras, nihil esse aspectabilius homini nato, quàm formam suam? Equidem scio & filiorum cariores esse, qui similes videntur: & publicitus simulacrum suum cuique, quòd videat, pro meritis præmio tribui. Aut quid sibi statuæ & imagines variis artibus effigiatæ volunt? nisi fortè quod artificio elaboratum laudabile habetur, hoc natura oblatum culpabile iudicandum est: cùm sit in ea vel magis miranda & facilitas & similitudo, Quippe in omnibus manu faciundis imaginibus opera diutinò sumitur, neq; tamen similitudo æquè ac in speculis comparet. Deest enim & luto vigor, & saxo color, & picturæ rigor, & motus omnibus, qui præcipua fide similitudinem repræsentat. Cùm in eo visitur imago mirè relata, vt similis, ita mobilis, & ad omnem nutum hominis sui morigera: eadem semper contemplantibus æquæua est, ab ineunte pueritia, ab obeuntẽ senectam. tot ætatis vices induit, tam varias habitudines corporis participat: tot vultus eiusdem lætantis vel dolentis imitatur. Enimuerò quòd luto fictum, vel ære infusum, vel lapide incisum, vel cera inustũ, vel pigmento illitum, vel alio quopiam humano artificio adsimilatum est, non multa intercapedine temporis dissimile

diſſimile redditur: &, ritu cadaueris, vnum vultum & immobilem poſſidet: tantum præſtat imaginis artibus ad ſimilitudinem referendum, læuitas illa ſpeculi fabra, & ſplendor opifex. Aut igitur vnius Ageſilaï Lacedæmonij ſententia nobis ſequenda eſt, qui ſe neque pingi neque fingi vnquam, diffidens formæ ſuæ, paſſus eſt: aut ſi mos omnium cæterorum hominum retinendus videtur, in ſtatuis & imaginibus non repudiandis, cur exiſtimes imaginem ſuam cuique viſendam potius in lapide, quàm in argento? magis in tabula, quàm in ſpeculo? An turpe arbitraris, formam ſuam ſpectaculo aſſiduo explorare? An non Socrates philoſophus vltrò etiam ſuaſiſſe fertur diſcipulis ſuis, crebrò vt ſemet in ſpeculo contemplarentur? vti qui eorum foret pulcritudine ſibi complacitus, impendio procuraret, ne dignitatem corporis malis moribus dedecoraret: qui verò minus ſe commendabilem formâ putaret, ſedulò operam daret, vt virtutis laude turpitudinem tegeret. Adeò vir omnium ſapientiſſimus ſpeculo etiam ad diſciplinam morum vtebatur. Demoſthenem verò, primarium dicendi artificem, quis eſt qui non ſciat ſemper ante ſpeculum, quaſi ante magiſtrum, cauſas meditatum? ita ille ſummus orator, cùm à Platone philoſopho facundiam hauſiſſet, ab Eubulide dialectico argumentationes edidiciſſet, nouiſſimam pronunciandi congruentiam ab ſpeculo pe

tiuit. Vtrum igitur putas maiorem curam decoris in adſeueranda oratione ſuſcipiendam rhetori iurganti, an philoſopho obiurganti ? apud iudices ſorte ductos pauliſper diſceptanti, an apud omnes homines ſemper diſſerenti ? de finibus agrorum litiganti, an de finibus bonorum & malorum docenti? Quid ? quòd nec ob hæc debet tantummodo philoſophus ſpeculum inuiſere. Nam ſæpe oportet non modò ſimilitudinem ſuam, verùm etiam ſimilitudinis ipſius rationem conſiderare: Num, vt ait Epicurus, profectæ à nobis imagines, velut quędam exuuiæ, iugi fluore à corporibus manantes, cùm læue aliquid & ſolidum offenderunt, illiſæ reflectantur; & retro expreſſæ controuerſim reſpõdeant: an vti alij philoſophi diſputant, radij noſtri, ſeu mediis oculis proliquati, & lumini extrario mixti, atque ei vniti, vti Plato arbitratur, ſeu tantum oculis profecti, ſine vllo foris adminiculo, vt Architas putat, ſeu intentu aëris fracti, vt Stoici rentur, cùm alicui corpori incidêre ſpiſſo & ſplendido & læui, paribus angulis, quibus inciderant, reſultent ad facies ſuas reduces: atque ita quod extrà tangunt ac viſunt, ad intra ſpeculum imaginentur. Videntúrne vobis debere philoſophi hæc omnia veſtigare & inquirere, & cuncta ſpecula vel vda vel ſuda ſoli videre ? Quibus præter iſta quæ dixi, etiam illa ratiocinatio neceſſaria eſt, cur in planis quidem

ſpeculis fermè pares obtutus & imagines videantur; in tumidis verò & globoſis omnia defectiora: at contrà in cauis auctiora: vbi, & cur læua cum dexteris permutentur: quando ſe imago eodem ſpeculo tum recondat penitus, tum foras exerat: cur caua ſpecula, ſi exaduerſum Soli retineantur, appoſitum fomitem accendunt? quî fiat, vti arquus in nubibus varij, & duo Soles æmula ſimilitudine viſantur? Alia præterea eiuſdémodi plurima, quæ tractat volumine ingēti Archimedes Syracuſanus, vir in omni quidē Geometria multum ante alios admirabili ſubtilitate: ſed haud ſciam, an propter hoc vel maximè memorandus, quòd inſpexerat ſpeculum ſæpe ac diligenter. Quem tu librum Æmiliane, ſi noſſes, ac non modò campo & glebis, verùmetiam abaco & puluiſculo te dediſſes: mihi iſtud crede, quamquam teterrimum os tuum minimùm à Thyeſta tragico demutet, tamen profectò diſcendi cupidine ſpeculum inuiſeres: & aliquando, relicto aratro, mirarêre tot in facie tua ſulcos rugarum, At ego non mirer, ſi boni conſulis me de iſto diſtortiſſimo vultu tuo dicere, de moribus tuis multo truculentioribus reticere? Ea res eſt: prꝫterquàm quòd non ſum iurgioſus, etiam libenter te, nuper vſque, albus an ater eſſes ignoraui. adhuc hercle non ſatis noui. Id adeò factum, quòd & tu ruſticando obſcurus es, & ego diſcendo occupatus. ita & tibi vmbra ignobilitatis à probatore

me sectatorem fero, verùm etiam Imperatores populi Romani paucitate seruorum gloriatos. Itáne tandem, ne hæc quidem legêre patroni tui? M. Antonium consularem, solos octo seruos domi habuisse? Carbonem verò illum, qui rebus potitus est, vno minus? At enim Manio Curio, tot adoreis longè inclyto, quippe qui ter triumphum vna porta egerit: ei igitur Manio Curio, duos solos in castris calones fuisse? Ita ille vir de Sabinis, déque Samnitibus, déque Pyrrho triumphator, pauciores seruos habuit, quàm triumphos. M. autem Cato nihil oppertus vt alij de se prædicarent, ipse in Oratione scriptum reliquit, cùm in Hispaniam consul proficisceretur, treis seruos solos ex Vrbe duxisse: quum iam ad villam publicam venerat, parum visum qui vteretur: iussisse duos pueros in foro de mensa emi: eos quinque in Hispaniam duxisse. Hæc Pudens si legisset, vt mea opinio est, aut omnino huic maledicto supersedisset: aut in tribus seruis multitudinem comitum philosophi, quàm paucitatem reprehendere maluisset. Idem mihi etiam paupertatem obprobrauit, acceptum philosopho crimen, & vltro profitendum. Enimuerò paupertas olim philosophiæ vernacula est: frugi, sobria, paruo potens, æmula laudis, aduersum diuitias possessa, habitu secura, cultu simplex, consilio benesuada: neminem vnquàm superbia inflauit, neminem impotentia deprauauit, neminem tyrannide efferauit.

delicias ventris & inguinum neque vult vllas, neque poteſt. Quippe hæc & alia flagitia, diuitiarum alumni ſolent. Maxima quæque ſcelera ſi ex omni memoria hominum percenſeas, nullum in illis pauperem reperies: vbi contra haud temerè inter illuſtres viros diuites comparent. ſed quemcunque in aliqua laude miramur, eum paupertas ab incunabulis nutricata eſt. Paupertas inquam, priſca apud ſecula omnium ciuitatum conditrix, omnium artium repertrix, omnium peccatorum inops, omnis gloriæ munifica, cunctis laudibus apud omnes nationes perfuncta. Eadem enim eſt paupertas apud Græcos in Ariſtide iuſta, in Phocione benigna, in Epaminonda ſtrenua, in Socrate ſapiens, in Homero diſerta. Eadem paupertas etiam populo Rom. imperium à primordio fundauit. próque eo in hodiernum Diis immortalibus ſimpuuio & catino fictili ſacrificat. Quod ſi modò iudices de cauſa iſta ſederent C. Fabricius, Cn. Scipio, Manius Curius, quorum filiæ ob paupertatem, de publico dotibus donatæ ad maritos ierunt, portantes gloriam domeſticam, pecuniam publicam: ſi Publicola regum exactor, & Agrippa populi reconciliator, quorum funus, ob tenueis opes, à populo Romano collatis ſextantibus adornatum eſt: ſi Atilius Regulus, cuius agellus ob ſimilem penuriam publica pecunia cultus eſt: ſi denique omnes illæ veteres proſapiæ Conſu-

lares & Cenſoriæ & triumphales, breui vſura lucis ad iudicium iſtud remiſſæ audirent: auderéſne paupertatem philoſopho exprobrare, apud tot Conſules pauperes? An tibi Claudius Maximus idoneus auditor videtur ad irridendam paupertatem, quòd ipſe vberem & prolixam rem familiarem ſortitus eſt? Erras Æmiliane: & longè huius animi fruſtra es, ſi eum ex Fortunæ indulgentia, non ex philoſophiæ cenſura metiris: ſi virum tam auſteræ ſectæ, támque diutinæ militiæ, non putas amicitiorem eſſe coërcitæ mediocritati, quàm delicatæ opulentiæ: Fortunam, velut tunicam, magis concinnam quàm longam probare. quippe etiam ea ſi non geſtetur, & trahatur, nihilo minus quàm lacinia præpendens impedit, & præcipitat. Etenim in omnibus ad vitæ munia vtendis, quidquid aptam moderationem ſupergreditur, oneri potius quàm vſui exuberat. Igitur & immodicæ diuitiæ, velut ingentia & enormia gubernacula, facilius mergunt quàm regunt: quòd habent irritam copiam, noxiam nimietatem. Quin ex ipſis opulentioribus eos potiſſimùm video laudari, qui nullo ſtrepitu, modico cultu, diſſimulatis facultatibus agunt: & diuitias magnas adminiſtrant ſine oſtentatione, ſine ſuperbia; ſpecie mediocritatis pauperum ſimiles. Quod ſi etiam ditibus ad argumentum modeſtiæ quæritur imago quæpiam & color paupertatis, cur eius pudeat tenuiores, qui ea non ſimulata, ſed verè fungimur?

Possum quidem tibi & ipsius nominis controuersiam facere: neminem nostrûm pauperem esse, qui superuacanea nolit, poscit necessaria; quæ natura oppidò pauca sunt. Namque is plurimum habebit, qui minimum desiderabit. Habebit enim quantum volet, qui volet minimum. Et iccirco diuitiæ non melius in fundis & in fœnore, quàm in ipso hominis æstimantur animo. qui si est auaritiâ egenus, & ad omne lucrum inexplebilis, nec montibus auri satiabitur, sed semper aliquid, antè parta vti augeat, mendicabit. Quæ quidem vera confessio est paupertatis. Omnis enim cupido acquirendi ex opinione inopiæ venit. Nec refert quàm magnum sit quod tibi minus est. Non habuit tantam rem familiarem Philus, quantam Lęlius: nec Lælius, quantam Scipio: nec Scipio, quantam Crassus Diues: at enim nec Crassus Diues quantam volebat. Ita cùm omneis superaret, à suamet auaritia superatus est: omnibúsque potius diues visus est, quàm sibi. At contrà hi philosophi quos commemoraui, non vltrà volentes quàm poterant, sed congruentibus desideriis & facultatibus, iurè meritóque dites & beati fuerunt. Pauper enim fis appetendi egestate, diues non egendi satietate. quippe quia inopia desiderio, opulentia fastidio cernuntur. Igitur Æmiliane, si pauperem me habere vis, prius auarum esse doceas necesse est. Quòd si nihil in animo deest, de rebus extraneis quantum desit non laboro: quarum neque

que laus in copia, neque culpa in penuria consistit. Sed finge hæc aliter esse, ac me ideo pauperem, quia mihi Fortuna diuitias inuidit, eásque, vt fermè euenit, aut tutor minuit, aut inimicus eripuit, aut pater non reliquit: hoccine homini obprobrari, pauperiem, quod nulli ex animalibus vitio datur? non aquilæ, non tauro, non leoni? Equus si virtutibus suis polleat, vt sit æquabilis vector, & cursor pernix, nemo ei penuriam pabuli exprobrat: tu mihi vitio dabis, non facti vel dicti alicuius prauitatem: sed quòd viuo gracili Lare, quòd pauciores habeo, parcius pasco, leuius vestio, minus obsono? Atqui ego contrà, quantulacunque tibi hæc videntur, multa etiam, & nimia arbitror, & cupio me ad pauciora coërcere: tanto beatior futurus, quanto collectior. Namque animi, ita vt corporis, sanitas expedita, imbecillitas laciniosa est: certúmque signum est infirmitatis, pluribus indigere. Prorsus ad viuendum, velut ad natandum, is melior, qui onere liberior. Sunt enim similiter etiam in ista vitæ humanæ tempestate leuia sustentatui, grauia demersui. Equidem didici, ea re præcedere maximè Deos hominibus, quòd nulla re ad vsum sui indigeant. Igitur ex nobis, cui quàm minimis opus sit, eum esse Deo similiorem. Proinde gratum habitum, ad contumeliam diceretis, rem familiarem mihi peram & baculum fuisse. quod vtinam tantus animi forem, vt præter eam suppelle-

ctilem nihil quidquam requirerem, sed eumdem ornatum dignè gestarem, quem Crates vltrò diuitiis abiectis appetiuit. Crates, inquam, si quid credis Æmiliane, vir domi inter Thebanos proceres diues, & nobilis, amore huius habitus quem mihi obiectas, rem familiarem largam & vberem populo donauit. multis seruis à sese remotis solitatem delegit: arbores plurimas & frugiferas præ vno baculo spreuit: villas ornatissimas vna perula mutauit. quam postea, comperta vtilitate, etiam carmine laudauit, flexis ad hoc Homericis versibus, quibus ille Cretam insulam nobilitat. Principium dicam, ne me hæc ad defensionem putes confinxisse:

Πήρη τις πόλις ἐστὶ μέσῳ ἐνὶ οἴνοπι τύφῳ
    Καλὴ καὶ πίειρα.

Cæruleo in medio quædam vrbs est perula ponto
    Pulchra & opima.

Iam cætera tam mirifica, quæ si tu legisses, magis mihi peram, quàm nuptias Pudentillæ inuidisses. Peram & baculum tu philosophis exprobrares? igitur & equitibus faleras, & peditibus clypeos, & signiferis vexilla, & denique triumphantibus quadrigas albas, & togam palmatam. Non sunt quidem ista Platonicæ sectæ gestamina, sed Cynicæ insignia familiæ. Verumtamen hoc Diogeni & Antistheni pera & baculus, quod Regibus diadema, quod Imperatoribus paludamentum, quod Pontificibus galerum, quod lituum Auguribus. Diogenes quidem

Cynicus, cum Alexandro Magno de veritate regni certabundus, baculo vice sceptri gloriabatur. Ipse denique Hercules inuictus, quoniam hæc tibi vt quædam mendicabula nimis sordent, ipse inquam Hercules lustrator orbis, purgator ferarum, gentium domitor: is tamen Deus cùm terras peragraret, paulo prius quàm in cælum ob virtutes ascitus est, neque vna pelle vestitior fuit, neque vno baculo comitatior. Quòd si hæc exempla nihili putas, ac me non ad causam agendam, verùm ad censum disserendum vocasti, ne quid tu rerum mearum nescias, si tamen nescis, profiteor mihi ac fratri meo relictum à patre H S. vicies, paulo secus: idque à me longa peregrinatione, & diutinis studiis, & crebris liberalitatibus modicè imminutum. Nam & amicorum plerisque opem tuli, & magistris plurimis gratiam retuli, quorumdam etiam filias dote auxi, neque enim dubitassem equidem vel vniuersum patrimonium impendere, vt adquirerem mihi, quod maius est, contemptum patrimonij. Tu verò Æmiliane, & id genus homines, vti tu es, inculti & agrestes, tanti reuera estis, quantum habetis: vt arbor infecunda & infelix, quæ nullum fructum ex sese gignit, tāti est in pretio, quanti lignum eius in trunco. Attamen parce postea, Æmiliane, paupertatem cuipiam obiectare, qui nuper vsque agellum Zarathensem, quem tibi vnicum pater tuus reliquerat, solus vno asello, ad tem-

meæ pœniteret, etsi adhuc Syphacis oppidum essemus. quo tamen victo, ad Masinissam regem concessimus, munerè populi: ac deinceps, veteranorum militum nouo conditu, splendidissima colonia sumus; in qua colonia patrem habui loco principe Duumviralem, cunctis honoribus perfunctum. Cuius ego locum in ea republ. exinde vt participare curiam cœpi, nequaquam degener, pari spero honore & existimatione tueor. Cur ergo illa protuli? vt mihi tu, Æmiliane, minus posthac succenseas, potiúsque vt veniam impertias, si per negligētiam fortè non elegi illud tuum Atticum Zarathe, vt in eo nascerer. Nónne vos puditum est, hæc crimina tali viro audiente, tam asseueratè obiectare? friuola & inter se repugnantia simul promere? & vtraque tamen reprehendere? An non contraria accusatis? peram & baculum, ob auctoritatem: carmina & speculum, ob hilaritatem: vnum seruum, vt deparci, treis libertos, vt profusi? præterea eloquentiam Græcam, patriam barbaram? Quin igitur tandem expergiscimini, ac vos cogitatis apud Claudium Maximum dicere, apud virum seuerum, & totius prouinciæ negotiis occupatum? Quin inquam vana hæc conuicia aufertis? quin ostenditis, quod insimulauistis, scelera immunia, & inconcessa maleficia, & arteis nefandas? Cur vestra oratio rebus flaccet, strepitu viget? Aggredior enim iam ad ipsum crimen Magiæ, quod in-

genti tumultu, ad inuidiam mei, accensum, frustrata expectatione omnium, per nescio quas anileis fabulas deflagrauit. Ecquandóne vidisti Maxime, flammam stipula exortam, claro crepitu, largo fulgore, cito incremento? sed enim materia leui: caduco incendio, nullis reliquiis? Hem tibi illa accusatio iurgiis inita, verbis aucta, argumentis defecta, nullis post sententiam tuam reliquiis calumnię permansura; quę quidem omnis Æmiliano fuit in isto vno destinata, me Magum esse. & ideò mihi libet quærere ab eruditissimis eius Aduocatis, quid sit Magus. Nam si (quod ego apud plurimos lego) Persarum lingua Magus est, qui nostra sacerdos, quod tandē est crimen, sacerdotem esse? & ritè nosse, atq; scire, atque callere, leges cerimoniarum, fas sacrorum, ius religionum? Si quidem Magia id est, quod Plato interpretatur θεῶν θεραπείαν, cùm commemorat, quibusnam disciplinis puerum regium adolescentem Persę imbuant. Verba ipsa diuini viri memini, quæ tu mecum Maxime recognosce, dicentia: δὶς ἑπτὰ δὲ γενομένων ἐτῶν τὸν παῖδα παραλαμβάνουσιν οὓς ἐκεῖνοι βασιλείους παιδαγωγοὺς ὀνομάζουσιν. εἰσὶ δὲ ἐξειλεγμένοι Περσῶν οἱ ἄριστοι δόξαντες ἐν ἡλικίᾳ τέτταρες. ὅ, τε σοφώτατος, καὶ ὁ δικαιότατος, καὶ ὁ σωφρονέστατος, καὶ ὁ ἀνδρειότατος. ὧν ὁ μὲν μαγείαν τε διδάσκει τὴν Ζωροάστρου, τοῦ Ὡρομάζου. ἔστι δὲ τοῦτο θεῶν θεραπεία. διδάσκει δὲ καὶ τὰ βασιλικά. Auditisne Magiam, qui eam temere accusatis, artem esse Diis immortalibus acceptam, colendi eos ac

venerandi pergnaram? piam scilicet, & diuini scientem, iam inde à Zoroastre & Oromaze auctoribus suis nobilem, cælitum antistitam? quippe inter prima regalia docetur. nec vlli temerè inter Persas concessum est Magum esse, haud magis quàm regnare. Idem Plato in alia sermocinatione, de Zamolxi quodam Thraci generis, sed eiusdem artis viro, ita scriptum reliquit: θεραπεύεσθαι δὲ τὴν ψυχὴν ἔφη ὦ μακάριε, ἐπῳδαῖς τισί; τὰς δ' ἐπῳδὰς τοὺς λόγους εἶναι τοὺς καλούς. Quod si ita est, cur mihi nosse non liceat vel Zamolxi bona verba, vel Zoroastri sacerdotia? Sin verò, more vulgari, eum isti propriè Magum existimant, qui communione loquendi cum Diis Immortalibus, ad omnia quæ velit incredibili quadam vi cantaminum polleat; oppidò miror cur accusare non timuerint, quem posse tantum fatentur. Neque enim tam occulta & diuina potentia caueri potest, itidem vt cætera. Sicarium qui in iudicium vocat, comitatus venit: qui venenarium accusat, scrupulosius cibatur. qui furem arguit, sua custodit. Enimuerò qui Magum, qualem isti dicunt, in discrimen capitis deducit, quibus comitibus, quibus scrupulis, quibus custodibus perniciem cæcam & ineuitabilem prohibeat? nullis scilicet. & ideo id genus crimen non est eius accusare, qui credit. Verùm hæc fermè communi quodam errore imperitorum Philosophis obiectantur: vt partim eorum qui corporum causas meras & simpliceis riman-

tur, irreligiosos putent, eóque aiant Deos abnuere; vt Anaxagoram, & Leucippum, & Democritum, & Epicurum, cæteróſque rerum naturæ patronos: partim autem, qui Prouidentiam mundi curioſius veſtigant, & impenſius Deos celebrant, eos verò vulgo Magos nominent: quaſi facere etiam ſciant quæ ſciant fieri: vt olim fuere Epimenides, & Orpheus, & Pythagoras, & Aſtanes, Ac dein ſimiliter ſuſpectata Empedocli Catharmoe, Socrati Dæmonion, Platonis, τὸ ἀγαθόν. Gratulor igitur mihi cùm & ego tot & tantis viris adnumeror. Cæterùm quæ ab illis ad oſtendendum crimen obiecta ſunt vana & inepta & ſimplicia, vereor ne ideo tantùm crimina putes, quod obiecta ſunt. *Cur, inquit piſcium quædam genera quæſiſti?* Quaſi id cognitionis gratia philoſopho facere non liceat, quod luxurioſo gulæ cauſa liceret? *Cur mulier libera tibi nupſit poſt annos tredecim viduitatis?* Quaſi non magis mirandum ſit, quòd tot annis non nupſerit *Cur prius quàm tibi nuberet, ſcripſit neſcio quid in epiſtola quod ſibi videbatur?* Quaſi quiſquam debeat cauſas alienæ ſententiæ reddere. *At enim maior natu non eſt iuuenem aſpernata.* Igitur hoc ipſum argumentum eſt, nihil opus Magia fuiſſe, vt nubere vellet mulier viro, vidua cœlibi, maior iuniori. Iam & illa ſimilia: *Habet quiddam Apuleius domi, quod ſecreto colit* Quaſi non id potiùs crimen ſit, quod colas non habere. *Cecidit preſente Apuleio puer.* Quid enim ſi iuuenis, quid ſi

etiam senex adsistente me corruisset, vel morbo corporis impeditus, vel lubrico soli prolapsus? Hiscine argumentis Magiam probatis? casu puerili, & matrimonio mulieris, & obsonio piscium? Possem equidem bono periculo, vel his dictis contentus, perorare. Quoniam tamen mihi pro accusationis longitudine largiter aquæ superest, cedò, si videtur, singula consideremus. Atq; ego omnia obiecta, seu vera, seu falsa sint, nõ negabo: sed perinde atq; si facta sint fatebor, vt omnis ista multitudo, quæ plurima vndique ad audiendum conuênit, apertè intelligat, nihil in philosophos non modò verè dici, sed ne falsò quidem posse confingi, quod non ex innocentiæ fiducia, quamuis liceat negare, tamen habeant potius defendere. Primùm igitur argumenta eorum conuincam, ac refutabo nihil ea ad Magiam pertinere: deinde, etsi maximè Magus forem, tamen ostendam, neque causam vllam, neq; occasionem fuisse, vt me in aliquo maleficio experirentur. Ibi etiam de falso inuidia, déq; epistolis mulieris perperam lectis, & nequius interpretatis, déque matrimonio meo ac Pudentillæ disputabo. idq; à me susceptum officij gratia, quàm lucri causa docebo. Quod quidem matrimonium nostrum Æmiliano huic immane quanto angori, quantæque inuidiæ fuit. Inde omnis huiusce accusationis obeundæ ira & rabies, & denique insania exorta est. Quæ si omnia palàm & dilucidè ostendero, tunc denique

te, Claudi Maxime, & omneis qui adſunt conteſtabor, puerum illum Sicinium Pudentem priuignum meum, cuius obtentu & voluntate à patruo eius accuſor, nuperrimè curæ meæ ereptum, poſtquam frater eius Pontianus & natu maior, & moribus melior, diē ſuum obiit, atque ita in me ac matrem ſuam nefariè efferatum, non mea culpa, deſertis liberalibus ſtudiis, ac repudiata omni diſciplina, ſceleſtis accuſationis huius rudimentis, patruo Æmiliano potiùs quàm fratri Pontiano ſimilem futurum. Nunc, vt inſtitui, proficiſcar ad omnia Æmiliani huiuſce deliramenta, orſus ab eo, quod ad ſuſpicionem Magiæ, quaſi validiſſimum in principio dici animaduertiſti: nonnulla me piſcium genera per quoſdam piſcatores pretio quæſiſſe. Vtrum igitur horum ad ſuſpectandam Magiam valet? quod ne piſcatores mihi piſcem quæſierunt? ſcilicet ergo phrygionibus aut fabris negotium iſtud dandum fuiſſe? atque ita opera cuiuſque artis permutanda, ſi vellem calumnias veſtras vitare, vt faber mihi piſcem, vt piſcator mutuò lignum dedolaret? An ex eo intellexiſtis maleficio quæri piſciculos, quòd pretio quærebantur? Credo ſi conuiuio vellem, gratis quæſiſſem. Quin igitur etiam ex aliis pleriſque me arguitis? Nam ſæpenumero & vinum, & olus, & pomum & panem pretio mutaui. Eo pacto cupediariis omnibus famem decernis. Quis enim ab illis obſonare audebit? ſiquidem ſta-

tuitur, omnia edulia, quæ depenso parantur, non cænæ, sed Magiæ desiderari. Quod si nihil remanet suspicionis, neque in piscatoribus mercede inuitatis (id quod solent) ad piscem capiundum (quos tamen nullos ad testimonium produxêre; quippe qui nulli fuerunt) neque in ipso pretio rei venalis, cuius tamen quantitatem nullam taxauere, ne, si mediocre pretium dixissent, contemneretur: si plurimum, non crederetur: si in his, vt dico, nulla suspicio est, respondeat mihi Æmilianus, quo proximo signo ad accusationem Magiæ sit inductus. *Pisces*, inquit, *quæris*. Nolo negare. Sed oro te, qui pisces quærit, Magus est? Equidem non magis arbitror quàm si lepores quærerem, vel apros, vel altilia. An soli pisces habent aliquid occultum aliis, sed Magis cognitum? Hoc si scis quid sit, Magus es profectò: sin nescis, confitearis necesse est, id te accusare, quòd nescis. Tam rudes vos esse omnium litterarum, omnium denique vulgi fabularum, vt ne fingere quidem possitis ista verisimiliter? Quid enim competit ad amoris ardorem accendendum, piscis brutus & frigidus, aut omnino res pelago quæsita? Nisi forte hoc vos ad mendacium induxerit, quòd Venus dicitur pelago exorta. Audi sis Tannoni Pudens, quàm multa nescieris, qui de piscibus argumentum Magiæ recepisti. At si Virgilium legisses, profectò scisses, alia quæri ad hanc rem solere. Ille enim, quantum scio, enumerat *vir-*

tas molleis, & *verbenas pingueis,* & *thura mascula,* & *licia discolora:* præterea *laurum fragilem, limum durabilem, ceram liquabilem,* nec minus, quæ iam in opere scripsit serio,

Falcibus & messæ ad Lunam quæruntur ahenis
Pubentes herbæ, nigri cum lacte veneni,
Quæritur & nascentis equi de fronte reuulsus
Et matri præreptus amor.

Attu piscium insimulator, longè diuersa instrumenta Magis attribuis: non frontibus teneris detergenda, sed dorsis squallentibus exscindenda: nec fundo reuellenda, sed profundo extrahenda: nec falcibus metenda, sed hamis inuncanda. Postremò, in maleficio ille venenum nominat, tu pulmentum: ille herbas & surculos, tu squamas & ossa: ille pratum decerpit, tu fluctum scrutaris. Memorassem tibi etiam Theocriti paria, & alia Homeri, & Orphei plurima, & ex comœdiis & tragœdiis Græcis, & ex historiis multa repetissem, nisi te dudum animaduertissem Græcam Pudentillæ epistolam legere nequiuisse. Igitur vnũ etiam poëtam Latinum attingam, versus ipsos quos agnoscent qui Lælium legêre:

Philtra omnia vndique eruunt.
Antipathes illud quæritur,
Trochiscili, vngues, teniæ,
Radiculæ, herbæ, surculi,
Aureæ ilices, bichordilę.
Hinnientium dulcedines.

Hæc & alia quæsisse me potius quàm pisces, longè verisimilius confinxisses, (his etenim fortasse per famam peruulgatam fides fuisset,) si tibi vlla eruditio adfuisset. Enimuerò piscis ad quam rem faciat captus, nisi ad epulas coctus? cæterùm ad Magiam nihil. Quare autem videatur nihil adiutare, dicam vnde id coniectem. Pythagoram plerique Zoroastri sectatorem, similitérque Magiæ peritum arbitrati, eum memoriæ prodiderunt, cùm animaduertisset proximè Metapontum, in littore Italiæ suæ, quam subsiciuam Greciam fecerat, à quibusdã piscatoribus euerriculum trahi, fortunam iactus eius emisse: & pretio dato, iussisse illico pisces eos qui capti tenebantur, solui retibus, & reddi profundo. Quos scilicet eum de manibus amissurum non fuisse, si quid in his vtile ad Magiam comperisset. Sed enim vir egregiè doctus & veterum æmulator, meminerat Homerum poëtam multiscium, vel potius cunctarum rerum adprimè peritum, vim omnem medicaminum non mari, sed terræ ascripsisse: cùm de quadam sagâ ad hunc modum memorauit:

Τοῖα Διὸς θυγάτηρ ἔχε φάρμακα μητιόεντα
Ἐσθλὰ, τά οἱ Πολύδαμνα πόρεν Θῶνος παράκοιτις
Αἰγυπτίη· τῇ πλεῖστα φέρει ζείδωρος ἄρουρα
Φάρμακα, πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

Itémque alibi carminum similiter:

Ὡς ἄρα φωνήσας, πόρε φάρμακον Ἀργειφόντης
Ἐκ γαίης ἐρύσας.

Cum tamen nunquam apud eum marino aliquo & pisculento medicauit nec Proteus faciem, nec Vlysses scrobem, nec Æolus follem nec Helena crateram, nec Circe poculum, nec Venus cingulum. At vos soli reperti estis ex omni memoria, qui vim herbarum, & radicum, & surculorum, & lapillorum, quasi quadam colluuione naturæ, de summis montibus in mare transferatis, & penitus piscium ventribus insuatis. Igitur vt solebat ad Magorum cerimonias aduocari Mercurius carminum vector, & illex animi Venus, & Luna noctium conscia, & manium potens Triuia: vobis auctoribus, posthac Neptunus cum Salacia, & Portunus cum omni choro Nereïdum, ab æstibus fretorum ad æstus amorum transferentur. Dixi cur non arbitrer quidquam negotij esse Magis & piscibus. Nunc, si videtur, credamus Æmiliano, solere pisces etiam ad Magicas potestates adiuuare. num ergo propterea quicunque piscem quærit, & ipse Magus est? Eo quidem pacto, & qui myoparones quæsierit, pirata erit: & qui vectem, perfossor: & qui gladium, sicarius. Nihil in rebus omnibus tam innoxium dices, quin id possit aliquid aliquà obesse: nec tam lætum, quin possit ad tristitudinem intelligi. Nec tamen idcirco omnia ad nequiorem suspicionem trahuntur. vt si thus & casiam & myrrham, cæterósque id genus odores funeri tantum emptos arbitreris, cùm & medicamento parentur, & sacrificio. Cæte-

rùm eodem piſcium argumento, etiam Menelai ſocios putabis Magos fuiſſe, quos ait poëta præcipuus, flexis hamulis apud Pharum inſulam famem propulſaſſe. etiam mergos, & delphinos, & ſcyllas, tu eôdem referes: etiam gulones omneis, qui impenſo piſces pretio à piſcatoribus mercantur: etiam ipſos piſcatores, qui omnium generum piſceis arte anquirunt. *Cur ergo & tu quæris?* Nolo equidem, nec neceſſarium habeo tibi dicere: ſed per te, ſi potes, ad hoc quæſiſſe me argue. Vt ſi helleborum, vel cicutam, vel ſuccum papaueris emiſſem, item alia eiuſdem modi, quorum moderatus vſus ſalutaris, ſed commixtio vel quantitas noxia eſt: quis æquo animo pateretur, ſi me per hoc veneficij arceſſeres, quòd ex illis poteſt homo occidi? Videamus tamen quæ fuerint piſcium genera, tam neceſſaria ad habendum, támque rara ad reperiendum, vt meritò ſtatuto præmio quærerentur. Tria omnino nominauerunt: vnum falſi, duo mentiti. Falſi, quòd leporem marinum fuiſſe dixerunt, qui alius omnino piſcis fuit: quem mihi Themiſon ſeruus noſter, medicinæ non ignarus, vt ex ipſo audiſti, vltro attulit ad inſpiciundum. nam quidem Leporem nondum etiam inuenit. Sed profiteor me quærere & cætera, non piſcatoribus modò, verùm etiam amicis meis negotio dato, quicunque minus cogniti generis piſcis inciderit, vt eius mihi aut formam commemorent, aut ipſum viuum: ſi id ne-

quierint, vel mortuum oſtendant. Quamobrem id faciam, mox docebo. Mentiti autem ſunt callidiſſimi accuſatores mei, vt ſibi videntur: cùm me ad finem calumniæ confinxerunt, duas res marinas, impudicis vocabulis quæſiſſe. quas Tannonius ille, cùm vtriuſque ſexus genitalia intelligi vellet, ſed eloqui propter infantiam cauſidicus ſummus nequiret, multum ac diu hæſitato, tandem *virile marinum*, neſcio qua circumlocutione malè ac ſordidè nominauit. Sed enim feminal nullo pacto reperiens munditer dicere, ad mea ſcripta confugit, quia & è quodam meo libro legit: *Interfeminiũ tegat, & femoris obiectu, & palmæ velamento* Hîc etiam, pro ſua grauitate vitio mihi vertebat, quòd me nec ſordidiora dicere honeſtè pigeret. At ego illi cõtrà iuſtius exprobrauerim, quòd qui eloquentiæ patrocinium vulgò profiteatur, etiam honeſta dictu ſordidè blatteret, ac ſæpe in rebus nequaquam difficilibus fringultiat, vel omnino obmuteſcat. Cedo enim, ſi ego de Veneris ſtatua nihil dixiſſem, neque *interfeminium* nominaſſem quibus tandem verbis accuſaſſes crimen illud, , tam ſtultitiæ quàm linguæ tuæ congruens? An quidquam ſtultius, quàm ex nominum propinquitate vim ſimilem rerum coniectari? Et fortaſſean peracutè reperiſſe vobis videbamini. At quæſiſſe me fingeretis ad illecebras Magicas duo hæc marina, *Veretillam*, & *Virginal*. diſce enim nomina rerum Latina. quæ propterea variè nominaui,

nominaui, vt denuò instructius accuses. Memento tamen tam ridiculum argumentum fore, desiderata ad res Venereas marina obscœna, quàm si dicas marinum pectinem comendo capillo quæsitum, vel aucupandis volantibus piscem accipitrem, aut venandis apris piscem apriculum, aut eliciendis mortuis marina caluaria. Respondeo igitùr ad hunc vestrum locum, non minus insulsè quàm absurdè commentum. me hasce nugas marinas, & quisquilias littoraleis, neque pretio neque gratis quæsisse. Illud etiam præterea respondeo, nescisse vos, quid à me quæsitum fingeretis. Hæc enim friuola, quæ nominastis, pleraque in littoribus omnibus congestim & aceruatim iacent, & sine vllius opera, quamlibet leuiter motis flucticulis, vltro foras euoluuntur. Quin ergo dicitis me eâdem operâ pretio impenso per plurimos piscatores quæsisse de littore, conchulam striatam, testam hebetem, calculum teretem: præterea cancrorum furcas, echinorum calyculos, lolliginum ligulas: postremò assulas, festucas, resticulas, & ostrea Pergami vermiculata: denique muscum, & algam, & cætera maris eiectamenta. quæ vbique litorum ventis expelluntur, salo expuuntur, tempestate reciprocantur, tranquillo deseruntur. Neque enim minus istis quæ commemoraui, accommodari possunt similiter ex vocabulo suspiciones. Posse dicitis ad res Venereas sumpta de mari spuria & fascina, propter nomi-

num ſimilitudinem. qui minus poſſit ex eodem littore calculus ad veſicam, teſta ad teſtamentum, cancer ad vlcera, alga ad querquerum? Næ tu Claudi Maxime nimis patiens vir es, & oppidò proxima humanitate, qui haſce eorum argumentationes diu herclè perpeſſus ſis. Equidem cùm hæc ab illis quaſi grauia & inuincibilia dicerentur, illorum ſtultitiam ridebam, tuam patientiam mirabar. Cæterùm, quamobrem plurimos iam piſces cognouerim, quorundam adhuc neſcius eſſe nolui, diſcat Æmilianus, quoniam vſque adeò rebus meis curat, quanquam eſt iam præcipiti æuo, & occidua ſenectute, tamen ſi videtur, ſuſcipiat doctrinam, ſeram planè, & poſtumam. Legat veterum philoſophorum monumenta, tandem vt intelligat non me primùm hæc requiſiſſe, ſed iampridem maiores meos, Ariſtotelem dico, & Theophraſtum, & Eudemum, & Lyconem, cæteróſque Platonis minores: qui plurimos libros de genitu animalium, déque victu, déque particulis, deque omni differentiâ reliquerunt. Bene, quòd apud te Maxime, cauſa agitur, qui pro tua eruditione legiſti profectò Ariſtotelis Πεϱὶ ζώων γενέσεως, Πεϱὶ ζώων ἀνατομῆς, Πεϱὶ ζώων ἱστοϱίας multiiuga volumina: præterea Problemata innumera eiuſdem: tum ex eadem ſectâ cæterorũ, in quibus id genus varia tractantur. Quæ tanta cura conquiſita, ſi honeſtum & glorioſum fuit illis ſcribere, cur turpe ſit nobis experiri? præſertim cùm ordinatius & co-

hibilius eadem Græcè & Latinè adnitar conſcribere, & in omnibus aut omiſſa anquirere, aut defecta ſupplere? Permittite, ſi opera eſt, quædam legi de Magicis meis; vt ſciat me Æmilianus, plura quàm putat quærere, & ſedulò explorare. Prome tu librum ex Græcis meis, quos fortè hîc amici habuere, ſed vtiq; Naturalium Quæſtionum: atque eum maximè, in quo plura de piſcium genere tractata ſunt. Interea dum hic quærit, ego exemplum rei competens dixero. Sophocles poëta Euripidi æmulus & ſuperſtes, vixit enim ad extremam ſenectam: cùm igitur acccuſaretur à filio ſuomet dementiæ, quaſi iam per ætatem deſiperet, protuliſſe dicitur Coloneũ ſuam, peregregiam tragœdiarum, quam fortè tum in eo tempore conſcribebat: eam iudicibus legiſſe, nec quidquam amplius pro defenſione ſua addidiſſe, niſi vt audacter dementiæ condemnarent, ſi carmina ſenis diſplicerent. Ibi ego comperior, omnes iudices tanto poëtæ adſurrexiſſe, miris laudibus eum tuliſſe ob argumenti ſolertiam, & cothurnum facundiæ: nec ita multum omnis abfuiſſe, quin accuſatorem potius demẽtiæ condemnarent. Inueniſti tu librum? Beaſti. Cedò. enim experiamur, an & mihi poſſint in iudicio litterę meæ prodeſſe. Lege pauca in principio, deinde quædã de piſcibus. At tu, interea dum legit, aquam ſuſtine. LOCVS EX GRAECO LIBRO APVLEI NATVRALIVM QVAESTIONVM. Audiſti Maxime quorum pleraque ſcilicet legeras

apud antiquos philoſophorum. & memento, de ſolis piſcibus hæc volumina à me conſcripta: qui eorum coitu progignantur; qui ex limo coaleſcant; quoties & quid anni cuiuſque eorum generis feminæ ſubent, mares ſuriant; quibus membris & cauſis diſcreuerit natura viuiparos eorum & ouiparos. ita enim appello, quæ Græci ζωοτόκα καὶ ὠοτόκα. Et ne operosè animalium genita pergam, deinde de differentia & victu, & membris, & ætatibus, cæteriſque plurimis, ſcitu quidem neceſſariis, ſed in iudicio alienis, pauca etiam de Latinis ſcriptis meis, ad eandem peritiam pertinentibus, legi iubebo. in quibus animaduertes, cum in eis cognitu rara, tum nomina etiam Romanis inuſitata, & in hodiernum, quod ſciam, infecta: ea tamen nomina labore meo & ſtudio ita de Græcis prouenire, vt tamen Latina moneta percuſſa ſint. Vel dicant nobis, Æmiliane, patroni tui, vbi legerint Latinè hæc pronuntiata vocabula. de ſolis aquatilibus dicam, nec cætera animalia niſi in communibus differentiis attingam. Auſculta igitur quæ dicam. Iam me clamabis magica nomina Ægyptio vel Babylonico ritu percenſere. GRÆCA VOCABVLA. Cαλυχεcχ κgλαχειν καλgχοCτPαxg † oxαPαzαxεα oCτpαχοΔεpNα xυp † υPoαN τιcιN φιϐια eNι dατυφoλια ωτα dεpχoπτεpα πεcuNo nodu xoNhpbcyNA ʳελαεπxα. Poſſum etiam pergere. ſed non eſt operæ in iſtis diem terere, vt ſit mihi tempus aggredi ad cæte-

ra. hæc interim, quæ dixi, pauca recita, Latinè à me enuntiata. VERSIO SVPERIORVM GRÆCORVM VOCABVLORVM. * * * * * *

Vtrum igitur putas philosopho, non secundum Cynicam temeritatem rudi & indocto, sed qui se Platonicæ scholæ meminerit, vtrum ei putas turpe, scire ista an nescire? negligere, an curare? nosse quanta sit etiam in istis prouidentiæ ratio, an de Diis immortalibus matri & patri credere? Q. Ennius ædes Phagitica, quæ versibus scripsit, innumerabilia piscium genera enumerat, quæ scilicet curiosè cognouerat. Paucos versus memini. eos dicam:

Omnibus vt Clypea præstat mustela marina,
Mures sunt Æni, ast aspra ostrea plurima Abydi;
Mitylenæ est pecten, caprosque apud Ambracienses;
Brundusii sargus bonus est. hunc, magnus erit si,
Sume. Apriclum piscem scito primum esse Tarenti.
Surrenti fac emas, glaucum Cumas apud. at quid?
Scarum præterij, cerebrum Iouis pæne supremi.
Nestoris ad patriam hic capitur magnúsque bonúsque.
Melanurũ, turdũ, merulámque, vmbrámque marinum.
Polypus Corcyræ, caluaria pinguia Atarnæ,
Purpura, muriculi, murex, dulces quoque echini.

Alios etiam multis versibus decorauit, & vbi gentium quisque eorum inueniatur ostendit: qualiter assus aut iussulentus optimè sapiat. nec tamen ab eruditis reprehenditur: ne ego reprehendar, qui res paucissimis cognitas Græcè, Latinè propriis &

elegantibus vocabulis conſcribo. Cùm hoc ſatis dixi, tum aliud accipe. Quid enim tandem, ſi medicinæ neque inſtudioſus, neque imperitus, quæpiam remedia ex piſcibus quæro, vt ſanè ſunt pluri̅ma, cum in aliis omnibus rebus eodem naturæ munere interſperſa atque interſeminata, tùm etiam nonnulla in piſcibus. an remedia noſſe, & ea conquirere, magi potius eſſe quàm medici, quàm denique philoſophi putas? qui illis non ad quæſtum, ſed ad ſuppetias vſurus eſt. Veteres quidem medici etiam carmina remedia vulnerum norant, vt omnis vetuſtatis certiſſimus auctor Homerus docet: qui facit Vlixi de vulnere ſanguinem profluentem ſiſti cantamine. Nihil enim quod ſalutis ferendæ gratia fit, criminoſum eſt. *At enim,* inquit, *piſcem cui rei niſi malæ proſcidiſti, que̅ tibi Themiſon ſeruus attulit?* Quaſi verò non paulò prius dixerim, me de particulis omnium animalium, de ſitu earum, déque numero, déque cauſa conſcribere: ac libros Ἀνατομῆς Ariſtoteli, & explorare ſtudio & augere. Atque adeò miror, quòd vnum à me piſciculum inſpectum ſciatis, cum iam plurimos qui vbicunque locorum oblati ſunt, æquè inſpexerim. præſertim quòd ego nihil clanculo, ſed omnia in propatulo ago; at quiuis vel extrarius arbiter aſſiſtat: more hoc & inſtituto magiſtrorum meorum, qui aiunt, hominem liberum & magnificum debere, ſi queat, in primori fronte animum geſtare. Hunc adeò piſciculum,

quem vos *leporem marinum* nominatis, plurimis qui aderant ostendi. necdum etiam decerno quid vocent, nisi quæram sanè accuratius, quòd nec apud veteres philosophos proprietatem eius piscis reperio, quamquam sit omnium rarissima, & herculè memoranda. Quippe solus ille, quantum sciam, cùm sit cætera exossis, duodecim numero ossa, ad similitudinem talorum suillorum, in ventre eius connexa & catenata sunt. Quod Aristoteles si scisset, nunquam profectò omisisset scripto prodere: qui aselli piscis solius omnium in mediâ aluo corculum situm pro maximo memorauit. *Piscem*, inquit *proscidisti* Hoc quis ferat philosopho crimen esse, quòd lanio vel coco non fuisset? *Piscem proscidisti*. quod crudum, id accusas: si cocto ventrem rusparer, hepatia suffoderem, ita vt apud te puerulus ille Sicinius Pudens suomet obsonio dixit, eam rem non putares accusandam? Atqui maius crimen est philosopho comesse pisceis, quàm inspicere. An hariolis licet iocinera rimari, philosopho contemplari non licebit? qui se sciat omnium animalium aruspicem, omnium Deûm sacerdotem? Hoc in me accusas, quod ego & Maximus in Aristotele miramur? cuius nisi libros bibliothecis exegeris, & studiosorum manibus extorseris, accusare me non potes. Sed de hoc pænè plura quàm debui. Nunc præterea vide, quàm ipsi sese reuincant. Aiunt, mulierem magicis artibus, marinis il-

lecebris à me petitam eo in tempore, quo me nõ negabunt in Gætuliæ mediterraneis montibus fuisse: vbi pisces per Deucalionis diluuia reperiantur. Quod ego gratulor nescire istos, legisse me Theophrasti quoque περὶ δακετῶν καὶ βλητικῶν, & Nicandri, Θηριακά. Cęterùm me etiam veneficij postularent: vt qui hoc negotiũ ex lectione & æmulatione Aristoteli nactus sim: nonnihil & Platone me adhortante, qui ait, eum qui ista vestiget, φρονεῖν ἀθάνατα καὶ θεῖα ἄνπερ ἀληθείας ἐφάπτηται. Nunc quoniam pisces horum satis patuerũt: accipe aliud, pari quidem stultitia, sed multo tanto vanius & nequius excogitatum. Scierunt & ipsi argumentum piscarium futile, & nihili futurum: præterea nouitatem eius ridiculam. Quis enim fando audiuit, ad maleficia Magica desquamari & exdorsuari pisceis solere? Potius aliquid de rebus peruulgatioribus, & iam creditis fingendum esset. Igitur ad præscriptum opinionis & famæ, confinxere puerum quempiam carmine cantatum, remotis arbitris, secreto loco, arula & lucerna, & paucis consciis testibus vbi incantatus sit, corruisse: postea nescientem sui, excitatum. Nec vltra isti quidem progredi mendacio ausi. Etenim fabula vt impleretur, addendum etiam illud fuit, puerum eumdem multa præsagio prædixisse. quippe hoc emolumentum canticis accipimus, præsagium & diuinationem. Nec modò vulgi opinione, verùm etiam doctorum virorum auctoritate, hoc miracu-

lum

lum de pueris confirmatur. Memini me apud Varronem philoſophum, virum accuratiſſimè doctum atque eruditum, cùm alia huiuſmodi, tum hoc etiam legere: Trallibus de euentu Mithridatici belli Magica percontatione conſulentibus, puerum in aqua ſimulacrum Mercurij contemplantem, quæ futura erant centum ſexaginta verſibus ceciniſſe. Itémque Fabium, cùm quingentos denarios perdidiſſet, ad Nigidium conſultum veniſſe: ab eo pueros carmine inſtinctos indicaſſe vbi locorum defoſſa eſſet crumena cum parte eorum, cæteri vt forent diſtributi: vnum etiam denarium ex eo numero habere M. Catonem philoſophum, quem ſe à pediſſequo in ſtipem Apollinis accepiſſe Cato confeſſus eſt. Hęc & alia apud pleroſque de Magicis pueris lego equidem: ſed dubius ſententiæ ſum, dicámne fieri poſſe, an negem. Quamquam Platoni credam, inter Deos atque homines, naturâ & loco medias quaſdam diuorum poteſtates interſitas, eáſque diuinationes cunctas & Magorum miracula gubernare. Quin & illud mecum reputo, poſſe animum humanum, & puerilem præſertim, ſimplicémque, ſeu carminum auocamento, ſiue odorum delinimento ſoporari, & ad obliuionem præſentium externari: & pauliſper remota corporis memoria, redigi ac redire ad naturam ſuam, quæ eſt immortalis ſcilicet, & diuina: atque ita veluti quodam ſopore, futura rerum præſagire. Verumenimuerò, vt iſta ſe-

ſe habent, ſi qúa fides hiſce rebus impertienda eſt, debet ille neſcio qui puer prouidus, (quantum ego audio) & corpore decorus atque integer deligi, & animo ſolers, & ore facundus: vt in eo aut diuina poteſtas, quaſi bonis ædibus diuerſetur, ſi dignè tamen ea pueri corpore includitur: aut ipſe animus expergitus, citò ad diuinationem ſuam redigatur: quæ ei promptè inſita, & nulla obliuione ſaucia & hebes, facilè reſumatur. Non enim ex omni ligno, (vt Pythagoras dicebat,) debet Mercurius exſculpi. Quod ſi ita eſt, nominate quis ille fuerit puer, ſanus, incolumis, ingenioſus, decorus, quem ego carmine dignatus ſim initiare. Cæterùm Thallus, quem nominaſtis, medico potius quàm Mago indiget. eſt enim miſer morbo comitiali ita cõfectus, vt ter aut quater die ſæpenumerò, ſine vllis cantaminibus, corruat, omniáque membra conflictationibus debilitet: facie vlceroſus, fronte & occipitio conquaſſatus, oculis hebes, naribus hiulcus, pedibus caducus. Maximus omnium Magus eſt, quo præſente Thallus diu ſteterit. ita plerumque morbo ſeu ſomno vergens inclinatur. Eum tamen vos carminibus meis ſubuerſum dixiſtis, quòd fortè me coram ſemel decidit. Conſerui eius plerìque adſunt, quos exhiberi denuntiaſtis. Poſſunt dicere omnes, quid in Thallo deſpuant: cur nemo audeat cum eo ex eodem catino cænare, eodem poculo bibere. Et quid ego de ſeruis? vos ipſi videtis. Ne-

gate Thallum, multò prius quàm ego Oeam venirem, corruere eo morbo solitum, medicis sæpenumerò ostensum. Negant hoc conserui eius, qui sunt in ministerio vestro? Omnium rerũ conuictum me fatebor, nisi de omnium consensu rus diu ablegatus est, in longinquos agros, ne familiam contaminaret. Quod ita factum nec ab illis negari potest: eò nec potuit hodie à nobis exhiberi. Nam, vt omnis ista accusatio temeraria & repentina fuit, nudiustertius nobis Æmilianus denuntiauit, vt seruos numero quindecim apud te exhiberemus. Adsunt quatuordecim, qui in opido erant. Thallus solus rus ablegatus, vt dixi, & quidem fermè ad centesimum lapidem, longè ex oculis. Thallus solus abest, sed misimus qui eum curriculò aduehat. Interroga Maxime, quatuordecim seruos, quos exhibemus, Thallus puer vbi sit, & quàm salue agat: interroga seruos accusatorum meorum. non negabunt, turpissimum puerum corpore putri & morbido, caducum, barbarum, rusticanum. Bellum verò puerum elgistis, quem quis sacrificio adhibeat, cuius caput contingat, quem puro pallio amiciat, à quo responsum speret. Vellem herculè adesset, tibi eum Æmiliane permisissem, vt teneres ipse, vt interrogares. Iam in media quæstione, hic ibidem pro tribunali oculos truces in te inuertisset, faciem tuam spumabundus conspuisset, manus contraxisset, caput succussisset, postremò in sinu tuo

corruisset. Quatuordecim seruos quos postulasti, exhibeo: cur illis ad quæstionem nihil vteris? vnum puerum, atque eum caducum, requiris, quem olim abesse pariter mecum scis? Quæ alia est euidétior calumnia? Quatuordecim serui petitu tuo adsunt, eos dissimulas: vnus puerulus abest, eum insimulas. Postremò quid vis? puta Thallum adesse, Vis probare, cum præsente me concidisse? Vltrò confiteor. Carmine id factum dicis? hoc puer nescit: ego, non factum, reuinco. Nnnc, caducũ esse puerum, nec tu audebis negare. Cur ergo carmini potius, quàm morbo attribuatur eius ruina? An euenire non potuit, vt fortè præsente me idem pateretur, quod sæpè aliàs multis præsentibus? Quod si magnum putarem caducum deiicere, quid opus carmine fuit? cùm incẽsus gagates lapis, vt apud physicos lego, pulcrè & facilè huncmorbum exploret: cuius odore etiam in venalitiis, vulgò sanitatem aut morbum venalium experiantur. Etiam orbis à figulo circumactus, non difficile eiusdem valitudinis hominem vertigine sui corripit: ita spectaculum rotationis eius animum saucium debilitat: ac multò plus ad caducos consternendos figulus valet quàm Magus. Tu frustra postulasti vt seruos exhiberem: ego non de nihilo postulo, vt nomines quinam testes huic piaculari sacro adfuerint, cùm ego ruentem Thallum impellerem. Vnum omninò nominas puerulum illum Sicinium Pudentem, cuius

me nomine accusas: is enim affuisse se dicit. cuius pueritia etsi nihil ad religionem suffragaretur, tamen accusatio fidem derogaret. Facilius fuit Æmiliane, ac multo grauius, tete vt ipsum diceres interfuisse, & ex eo sacro cœpisse dementire, potiùs quàm totum negotium quasi ludicrum, pueris donares. Puer cecidit, puer vidit. num etiam puer aliquis incantauit? Hìc satis veteratoriè Tannonius Pudens, cûm hoc quoque mendacium frigere, ac propè iam omnium vultu & murmure explosum videret: vt vel suspiciones quorumdam spe moraretur, ait pueros alios producturum, qui sint æquè à me incantati: atque ita ad aliam speciem argumenti transgressus est. Quod quamquam dissimulare potui, tamen vt omnia, ita hoc quoque vltrò prouoco. Cupio enim produci eos pueros, quos spe libertatis audio confirmatos ad mentiendum. Sed nihil amplius dico, quàm vt producant. Postulo igitur & flagito, Tannoni Pudens, vt expleas quod es pollicitus. Cedò pueros istos quibus confiditis. produc, nomina qui sint. mea aqua licet ad hoc vtare. Dic inquam Tannoni. quid taces? quid cunctaris? quid respectas? Quòd si hic nescit quid dixerit, aut nomina oblitus est, at tu Æmiliane cede huc. dic quid aduocato tuo mandaueris. exhibe pueros. Quid expalluisti? quid taces? hoccinè accusare est? hoccine tantum crimen deferre? an Claudium Maximum, tantum virum, ludibrio habere, me ca-

lumnia insectati? Quod si fortè patronus tuus verbo prolapsus est, & nullos pueros habes quos producas, saltem quatuordecim seruis, quos exhibui, ad aliquid vtere: aut cur sisti postulabas tantam familiam? Magiæ accusans de quindecim seruis denuntiasti: quòd si de vi accusares, quot tandem seruos postulares? Sciunt ergo aliquid quindecim serui, & occultum est? an occultum non est, & Magicum est? Alterum horum fatearis necesse est: aut illicitum non fuisse in quo tot conscios non timuerim: aut si illicitum fuit, scire tot conscios non debuisse. Magia ista, quantum ego audio, res est legibus delegata, iam inde antiquitùs duodecim Tabulis propter incredundas frugum illecebras interdicta. Igitur & occulta non minus quàm tetra & horribilis, plerumque noctibus vigilata, & tenebris abstrusa, & arbitris solitaria, & carminibus murmurata. cui non modò seruorum, verùm etiam liberorum pauci adhibentur. Et tu quindecim seruos vis interfuisse? Nuptiæ ne illæ fuerunt, an aliud celebratum officium, an conuiuium tempestiuum? Quindecim serui sacrum Magicum participant, quasi Quindecimuiri sacris faciundis creati. Cui tamen rei tot numero adhibuissem, si conscientia vnius multi sunt? Quindecim liberi homines, populus est: totidem serui, familia: totidem vincti, ergastulum. An adiutorio multitudo eorum necessaria fuit, qui diutinè hostias lu-

ſtraleis tenerent? At nullas hoſtias niſi gallinas nominaſtis. An vt grana thuris numerarent? an vt Thallum proſternerent? Mulierem etiam liberam perductam ad me domum dixiſtis, eiuſdem Thalli valitudinis, quam ego pollicitus ſim curaturum: eam quoque incantatam à me corruiſſe. Vt video, vos palæſtritam, non Magum accuſatum veniſtis: ita omnes qui me acceſſerint, dicitis cecidiſſe. Negauit tamen quærente te Maxime, Themiſon medicus, à quo mulier ad inſpiciendum perducta eſt, quidquam vltra paſſam, niſi quæſiſſe me, Ecquid illi aures obtinnirent, & vtra earum magis: vbi reſponderit, dextram ſibi aurem nimis inquietam, confeſtim deceſſiſſe. Hîc ego Maxime quamquam ſedulò impræſentiarum à laudibus tuis tempero, necubi tibi ob cauſam iſtam videar blanditus, tamẽ ſolertiam tuam in percontando nequeo qnin laudem. Dudum enim cùm agitarentur hæc, & illi incantatam mulierem dicerent, medicus qui adfuerat abnueret, quæſiſti tu nimis quàm prudenter, quòd mihi emolumentũ fuerit incantandi? reſponderunt, vt mulier rueret. Quid deinde? mortua eſt? inquis: negarunt. Quid ergo dicitis? quod Apuleij commodum, ſi ruiſſet? ita enim pulchrè ac perſeueranter tertiò quæſiuiſti, vt qui ſcires omnium factorum rationes diligentius examinandas, ac ſæpius cauſas quæri, facta concedi: eóque etiam patronos litigatorum cauſidicos nominari, quòd cur

quæque facta sint, expediant. Cæterùm negare factum, facilis res est, & nullo patrono indiget: rectè factũ vel perperam, docere, id vero multo arduum & difficile est. Frustra igitur, an factum sit, quæritur, quòd nullam malam causam habuit vt fieret. Ita facti reus, apud bonum iudicem scrupulo quæstionis liberatur, si nulla fuit ei ratio peccandi. Nunc quoniam neque incantatam, neque prostratam mulierem probauerunt, & ego non nego petitu medici à me inspectam, dicam tibi Maxime, cur illud de aurium tinnitu quæsierim, non tam purgandi mei gratia in ea re quam tu iam præiudicasti, neque culpæ neque crimini confinem, quàm vt ne quid auribus tuis & doctrinæ tuæ congruens reticuerim. Dicam igitur quàm breuissimè potero. etenim admonendus es mihi, non docendus. Plato philosophus in illo præclarissimo Timæo cælesti quadam facundia vniuersum Mundum molitus, postquam de nostri quoque animi trinis potestatibus solertissimè disseruit, & cur quæque membra nobis diuinâ prouidentia fabricata sint, aptissimè demonstrauit: causam morborum omnium trifariam percenset. Primam causam primordiis corporis attribuit, si ipsæ elementorum qualitates, humida & frigida, & his duæ aduersæ, non congruant. id adeò euenit, cùm quæpiam earum modo excessit, aut loco demigrauit. Sequens causa morborum inest in eorum vitio, quæ iam concreta ex

ta ex

ta ex ſimplicibus elementis, vna tamen ſpecie coaluerunt: vt eſt ſanguinis ſpecies, & viſceris, & oſſis, & medullæ: porrò illa quæ ex hiſce ſingularibus mixta ſunt. Tertiò, in corpore concrementa varij fellis, & turbidi ſpiritus, & pinguis humoris, nouiſſima ægritudinum incitamenta ſunt. Quorum è numero præcipua fit materia morbi comitialis, de quo dicere exorſus ſum, cùm caro in humorem craſſum & ſpumidum inimico igni colliqueſcit, & ſpiritu indidem parto ex candore compreſſi aëris albida & tumida tabes fluit. Ea namque tabes, ſi foras corporis proſpirauit, maiore dedecore quàm noxa diffunditur. Pectoris enim primorem cutim vitiligine inſignit, & omnimodis maculationibus conuariat. ſed cui hoc vſu venerit, numquam poſtea comitiali morbo attentatur. Ita ægritudinem animi grauiſſimam, leui turpitudine corporis compenſat. Enimuerò ſi pernicioſa illa albedo intus cohibita, & bili atræ ſociata, venis omnibus furens peruaſit: deinde ad ſummum caput viam molita, dirum fluxum cerebro immiſcuit; illico regalem partem animi debilitat, quæ ratione pollens, verticem hominis velut arcem & regiam inſedit. Eius quippe diuinas vias & ſapientes meatus obruit & obturbat. quod facit minore pernicie per ſoporem; cum potu & cibo plenos comitialis morbi prænuntia ſtrangulatione modicè angit. Sed ſi vſque adeò aucta eſt, vt etiam vigi-

lantium capiti offundatur: tum verò repentino mentis nubilo obtorpescunt, & moribundo corpore, cessante animo cadunt. Eum nostri non modò maiorem, & comitialem, verùm etiam diuinum morbum, ita vt Græci ἱερὰν νόσον, verè nuncuparunt. videlicet quòd animi partem rationalem, quæ longè sanctissima est, eam violet. Agnoscis Maxime, rationem Platonis, quantum potui pro tempore, perspicuè explicatam. cui ego fidem arbitratus, causam diuini morbi esse, cùm illa pestis in caput redundauit: haud quaquam videor de nihilo percontatus, an esset mulieri illi caput graue, ceruix torpens, tempora pulsata, auris sonora. Et cæterum, quòd dextræ auris crebriores tinnitus fatebatur, signum erat morbi penitus adacti. Nam dextera corporis validiora sunt, eóq; minus spei ad sanitatem relinquunt, cùm & ipsa ægritudini succumbunt. Aristoteles adeò in Problematis scriptum reliquit, quibus æquè caducis à dextero morbus occipiat, eorum esse difficiliorem medelã. Longum est, si velim Theophrasti quoque sententiam de eodem morbo recensere. est enim etiam eius egregius liber *De caducis.* Quibus tamen in alio libro, quem *De non-videntibus animalibus* conscripsit, remedio esse ait exuuias stellionum, quas velut senium, more cæterorum serpentium, temporibus statutis exuant: sed nisi confestim eripias, (malignóne præsagio, an naturali ad penitentia) illicò con-

uertuntur, & deuorant. Hæc idcirco commemoraui nobilium philosophorum disputata, simul & libros sedulò nominaui, nec vllum ex medicis aut poëtis volui attingere, vt isti desinant mirari, si philosophi suapte doctrinâ causas morborum & remedia nouerunt. Igitur cùm ad inspiciendum mulier ægra, curationis gratiâ ad me perducta sit, atque hoc, & medici confessione qui adduxit, ad meam ratiocinationem rectè factum esse conueniat: aut constituant, Magi & malefici hominis esse, morbis mederi: aut si hoc dicere non audent, fateantur se in puero & muliere caducis, vanas & prorsus caducas calumnias intendisse. Imò enim, si audire verum velis Æmiliane, tu potiùs caducus, qui iam tot calumniis cecidisti. Neq; enim grauius est corpore quàm corde collabi: pede potiùs quàm mente corruere: in cubiculo despui, quàm in isto splendidissimo cœtu detestari. At tu fortasse te putas sanum, quòd non domi cõtineris, sed insaniam tuam, quoquò te duxerit, sequeris. Atqui si contendere vis furorem tuum cum Thalli furore, inuenies non permultum interesse: nisi quod Thallus sibi, tu etiam aliis furis. Cæterùm Thallus oculos torquet, tu veritatem: Thallus manus contrahit, tu patronos: Thallus pauimentis illiditur, tu tribunalibus. Postremò ille quidquid agit, in ægritudine facit, ignorans peccat: at tu, miser, prudens & sciens delinquis: tanta vis morbi te instigat, fal-

ſum pro vero inſimulas, infectũ pro facto criminaris. quem innocentem liquidò ſcis, tamen accuſas vt nocentem. Quin etiam, quod præterii, ſunt quæ fatearis neſcire: & eadem rurſus, quaſi ſcias, criminaris. Ais enim, me habuiſſe quædam ſudariola inuoluta apud Lareis Pontiani. Ea inuoluta quæ & cuiuſmodi fuerint, neſciſſe te confiteris: neque præterea quemquam eſſe qui viderit. tamen illa contendis inſtrumenta Magiæ fuiſſe. Nemo tibi blandiatur Emiliane. Non eſt in accuſando verſutia, ac ne impudentia quidem, ne tu arbitreris. Quid igitur? furor infelix acerbi animi, & miſera inſania crudæ ſenectutis. His enim pænè verbis cum tam graui & perſpicaci iudice egiſti: *Habuit Apuleius quæpiã linteolo inuoluta apud Lareis Pontiani. hæc quoniã ignoro quæ fuerint, idcirco Magica fuiſſe contendo. crede igitur mihi quod dico, quia id dico quod neſcio.* O pulcra argumenta, & apertè crimen reuincentia. Hoc fuit, quoniam quid fuerit ignoro. Solus repertus es Æmiliane, qui ſcias etiam illa quæ neſcis. Tantum ſuper omneis ſtultitiã euectus es. quippe qui ſolertiſſimi & acerrimi philoſophorum fuerunt, ne iis quidem confidendum eſſe aiunt, quæ videmus. At tu de illis quoque affirmas, quæ neque conſpexiſti vnquam, neque audiſti. Pontianus ſi viueret, atque eum interrogares quæ fuerint in illo inuolucro, neſcire ſe reſponderet. Libertus etiam ille qui claues eius loci in hodiernum habet, & à vobis ſtat, num-

quàm se ait inspexisse : quamquam ipse aperiret, (vt pote promus librorum qui illic erant conditi ,) pænè quotidie, & clauderet: sæpe nobiscum , multo sæpius solus intraret , linteum in mensa positum cerneret , sine vllo sigillo , sine vinculo. Quid ni enim ? Magicæ res , in eo occultabantur : eò negligentiùs adseruabam. Sed enim liberè scrutandum & inspiciendum, si liberet : etiam auferendum , temerè exponebam , alienæ custodiæ commendabam , alieno arbitrio permittebam. Quid igitur impræsentiarum vis tibi credi , quod ne Pontianus quidem sciret , qui indiuiduo contubernio mecum vixit , id te scire , quem numquam viderim nisi pro tribunali ? An quod libertus assiduus , cui omnis facultas inspiciendi fuit , quòd is libertus non viderit, te qui numquam eò accesseris , vidisse ? denique vt quod non vidisti, id tale fuerit, quale dicis ? Atqui stulte , si hodie illud sudariolum tu intercepisses, quidquid ex eo promeres, ego Magicum negarem. Tibi adeò permitto , finge quiduis , reminiscere, excogita , quod possit Magicum videri : tamen de eo tecum decertarem aut ego subiectum dicerem, aut remedio acceptum , aut sacro traditum , aut somnio imperatum. Mille alia sunt , quibus possem more cómuni , & vulgatissima obseruationum consuetudine verè refutare. Nunc id postulas , vt quod deprehensum & detentum , tamen nihil me apud bonum iudicem læderet , id inani suspi-

cione incertum & incognitum condemnet. Haud sciam, an rursus vt soles, dicas: *Quid ergo illud fuit, quod linteo tectũ, apud Lareis potissimũ deposuisti?* Ita ne est Æmiliane? sic accusas, vt omnia à reo percontêre, nihil ipse adferas cognitum? *Quamobrem pisceis quæris? Cur ægram mulierẽ inspexisti? quid in sudario habuisti insutum?* Accusatum an interrogatum venisti? Si accusatum, tute argue quæ dicis: si interrogatum, noli præiudicare quid fuerit, quod ideo te necesse est interrogare, quia nescis. Cæterùm hoc quidem pacto omneis homines rei constituentur: si ei qui nomen cuiuspiã detulerit, nulla necessitas sit probandi, omnis contrà facultas percõtandi. Quippe omnibus, si cui fortè negotiũ Magiæ facessitur, quidquid omnino egerint, obiicietur. Votũ in alicuius statuæ femore assignasti: igitur Magus es: aut cur signasti? Tacitas preces in templo Deis allegasti? igitur Magus es: aut quid optasti? Contrà, nihil in templo precatus es: igitur Magus es: aut cur Deos non rogasti? Similiter si posueris donũ aliquod, si sacrificaueris, si verbenam sumpseris. Dies me deficiet, si omnia velim persequi, quorum rationem similiter calumniator flagitabit. Præsertim quod conditum cunque, quod obsignatum, quod inclusum domi adseruatur, id omne eodem argumento Magicum dicetur: aut e cella promptuaria in forũ atque in iudicium proferetur. Hæc quanta sint, & cuiusmodi, Maxime,

quantusque campus calumniis hoc Æmiliani tramite aperiatur, quantique sudores innocentibus hoc vno sudariolo adferantur, possem equidem pluribus disputare. sed faciam quod institui. etiam quod non necesse est confitebor: & interrogatus ab Æmiliano respondebo. Interrogas Æmiliane quid in sudario habuerim. at ego, quamquam omninò positum vllum sudarium meum in bibliotheca Pontiani possim negare, tamen maximè fuisse concedam: cùm habeam dicere, nihil in eo inuolutum fuisse: quæ si dicam, neque testimonio aliquo, neque argumento reuincar. Nemo enim qui attigerit est: vnus libertus, vt ais, qui viderit: tamen inquam, per me licet fuerit repertissimum. sic enim, si vis, arbitrare: vt olim Vlixis socij thesaurum reperisse arbitrati sunt, cùm vtrem ventosissimum menticularentur. Vin dicam, cuiusmodi illas res in sudario obuolutas Laribus Pontiani commendarim? Mos tibi geretur. Sacrorum pleraque initia in Græcia participaui. Eorum quædam signa & monumenta tradita mihi à sacerdotibus sedulò conseruo. Nihil insolitum, nihil incognitum dico: vel vnius Liberi patris symmistæ, qui adestis, scitis, quid domi conditum celetis, & absque omnibus profanis tacitè veneremini. At ego, (vt dixi) multiiuga sacra, & plurimos ritus, varias cerimonias, studio veri, & officio erga Deos didici. Nec hoc ad tempus compono: sed abhinc fermè trien-

nium est, cũ primis diebus quibus Oeam veneram, publice disserens de Esculapij maiestate, eadem ista præ me tuli, & quot sacra nossem percensui. Ea disputatio celebratissima est: vulgò legitur: in omniũ manibus versatur, non tam facundiâ meâ, quàm mentione Æsculapij religiosis Oeensibus commendata. Dicite aliqui, si quis fortè meminit, huius loci principium. Audísne Maxime multos suggerentes? immò ecce etiam liber offertur, recitari ipsa hæc iubebo: quoniam ostendis humanissimo vultu, auditione te ista non grauari. LOCVS EX ORATIONE APVLEI OEAE HABITA. Etiámne cuiquam mirum videri potest, cui sit vlla memoria religionis, hominem tot mysteriis Deum conscium, quædam sacrorum crepundia domi adseruare? atque ea lineo texto inuoluere, quod purissimum est rebus diuinis velamentum? Quippe lana, segnissimi corporis excrementum, pecori detracta, iam inde Orphei & Pythagoræ scitis, profanus vestitus est. Sed enim mundissima lini seges, inter optimas fruges terra exorta, non modò indutui & amictui sanctissimis Ægyptiorum sacerdotibus, sed opertui quoque in rebus sacris vsurpatur. Atque ego scio nonnullos, & cum primis Æmilianum istum, facetiæ sibi habere, res diuinas deridere. Nam, vt audio, percensentibus iis qui istum nouere, nulli Deo ad hoc æui supplicauit, nullum templum frequentauit. si fanum aliquod prætereat,

nefas

nefas habet adorandi gratia manum labris admouere. Iſte verò nec Diis rurationis, qui eum paſcunt ac veſtiunt, ſegetis vllas, aut vitis, aut gregis primitias impartit. nullum in villa eius delubrum ſitum, nullus locus aut lucus conſecratus. Et quid ego de luco & delubro loquor? Negant vidiſſe ſe, qui fuêre, vnum ſaltem in finibus eius aut lapidem vnctum, aut ramum coronatum. Igitur agnomenta ei duo indita: Charon, (vt iam dixi,) ob oris & animi diritatem: ſed alterum(quod libentius audit,)ob Deorum contemptum, Mezentius. Quapropter facilè intelligo, haſce ei tot initiorum enumerationes nugas videri: Et fors fuat vt ob hanc diuini contumaciam non inducat in animum, verum eſſe quod dixi, me ſanctiſſimè tot ſacrorum ſigna & memoracula cuſtodire. Sed ego quid de me Mezentius ſentiat, manum non vorterim. Cæteris autem clariſſima voce profiteor, ſi qui fortè adeſt eorumdem ſolennium mihi particeps, ſignum dato, & audiat licet quæ ego adſeruem. Nam equidem nullo vmquam periculo compellar, quæ reticenda accepi, hæc ad profanos annuntiare. Vt puto, Maxime, ſatis videor cuiuis vel iniquiſſimo animum expleſſe, & quod ad ſudarium pertineat, omnem criminis maculam deterſiſſe: ac bono iam periculo ad teſtimonium illud Craſſi, quod poſt iſta quaſi grauiſſimum legerunt, à ſuſpicionibus Æmiliani tranſcenſurus. Teſtimonium ex libello legi

audisti gumiæ cuiusdam, & desperati lurconis, Iunij Crassi, me in eius domo nocturna sacra cum Appio Quintiano amico meo factitasse, qui ibi mercede deuersabatur. Idque se ait Crassus, quanquam eo tempore vel Alexandriæ fuerit, tamen à cæde & fumo & auium plumis comperisse. Scilicet eũ, cùm Alexandriȩ symposia obiret: (est enim Crassus iste, qui non inuitus de die in ganeas correpat:) in illo cauponis nidore pinnas de penatibus suis aducctas aucupantem, fumum domus suæ agnouisse, patrio culmine longè exortum. Quem si oculis vidit, vltra. Vlixi vota & desideria hic quidem est oculatus. Vlixes fumum terra sua emergentem compluribus annis è littore prospectans, frustra captauit: Crassus in paucis quibus abfuit mensibus, eundem fumum, sine labore in taberna vinaria sedens, conspexit. Sin verò naribus nidorem domesticum præsensit, vincit idem sagacitate odorandi canes & vulturios. Cui enim cani, cui vulturio, Alexandrini cæli quidquam abusque Oeensium finibus oboleat? Est quidem Crassus iste summus helluo, & omnis fumi non imperitus. sed profectò pro studio bibendi, quo solo censetur, facilius ad eum Alexandriam vini aura quàm fumi perueniret. Intellexit hoc & ipse incredibile futurum. Nam dicitur ante horam diei secundam, ieiunus adhuc & abstemius, testimonium istud vendidisse. Igitur scripsit, hæc se ad hunc modum comperisse. Postquam Alexan-

dria reuenerit, domum suam rectà contendisse, ex qua iam Quintianus migrarat. ibi in vestibulo multas auium pinnas offendisse: præterea parietes fuligine deformatos: quæsisse causas ex seruo suo quem Oeæ reliquerat, cúmque sibi de meis & Quintiani nocturnis sacris indicasse. Quam verò subtiliter compositum, & verisimiliter commentum, me, si quid eius facere vellem, non domi meæ potius facturum? Quintianum istum qui mihi assistit, (quem ego pro amicitia, quæ mihi cum eo artissima est, próque eius egregia eruditione, & perfectissima eloquentia, honoris & laudis gratia nomino:) hunc igitur Quintianum, si quas aues in cæna habuisset, aut (quod aiunt,) Magiæ causa interemisset, puerum nullum habuisse qui pinnas conuerreret, & foras abiiceret? præterea fumi tantam vim fuisse, vt parietes atros redderet: eámque deformitatem, quoad habitauit, passum in cubiculo suo Quintianum? Nihil dicis Æmiliane. non est verisimile. nisi fortè Crassus non in cubiculum reuersus perrexit, sed suo more rectà ad focum. Vnde autem seruus Crassi suspicatus est noctu potissimùm parietes fumigatos? an ex fumi colore? videlicet fumus nocturnus nigrior est, eóque diurno fumo differt? Cur autem suspicax seruus, ac tam diligens, passus est Quintianum migrare prius quàm mundam domum redderet? Cur illæ plumæ, quasi plumbeæ tamdiu, (vsque ad aduentum Crassi) manserunt? Non insimu-

let Craſſus ſeruum ſuum, ſed ipſe hæc potius de fuligine & pinnis mentitus eſt, dum non poteſt nec in teſtimonio dando diſcedere longius à culina. Cur autem teſtimonium ex libello legiſtis? Craſſus ipſe vbi gentium eſt? An Alexandriam tædio domus remeauit? an parietes ſuos detergit? an (quod verius eſt) ex crapula helluo attentatur? Nam equidem hæc fabra tecum heſterna die animaduerti ſatis notabiliter in medio foro tibi Æmiliane obructantem. Quære à nomenclatoribus tuis Maxime, quanquam eſt ille cauponibus quàm nomenclatoribus notior: tamen inquam interroga, an hic Iunium Craſſum Oeenſem viderint, non negabunt. Exhibeat nobis Æmilianus iuuenem honeſtiſſimum, cuius teſtimonio nititur. Quid ſit diei vides. Dico Craſſum iamdudum ebrium ſtertere, aut ſecundo lauacro, ad repotia cænæ obeunda, vinolentum ſudorem in balneo deſudare. Iſte cum maximè præſens per libellum loquitur, non quin adeò ſit alienatus omni pudore, vt etiam ſub oculis tuis ſi foret, ſine rubore vllo mentiretur: ſed fortaſſe nec tantulum potuit ebrius ſibi temperare, vt hanc horam ſobriè exſpectaret; aut potius Æmilianus de conſilio fecit, ne eum ſub tam ſeueris oculis tuis conſtitueret, ne tu belluam illam vulſis maxillis, fœdo aſpectu, de ſpecie improbares: cùm animaduertiſſes caput iuuenis barba & capillo populatum, madentes oculos, cilia turgentia, rictum, ſaliuoſa

labia, vocem abſonam, manuum tremorem, ructus. Nam patrimonium omne iampridem abligurriuit: nec quidquam ei de bonis paternis ſupereſt, niſi vna domus ad calumniam venditandam. quam tamen nunquam carius quàm in hoc teſtimonio locauit. Nam temulentum iſtud mendacium tribus millibus nummis Æmiliano huic vendidit: idque Oeæ nemini ignoratur. Omnes hoc, antequam fieret, cognouimus. & potui denuntiatione impedire, niſi ſcirem mendacium tam ſtultum potius Æmiliano, qui fruſtra redimebat, quàm mihi, qui meritò contemnebam, obfuturum. Volui & Æmilianum damno affici, & Craſſum teſtimonij ſui dedecore proſtitui. Cæterùm nudiuſtertius haudquaquam occulta res acta eſt in Rufini cuiuſdam domo, de quo mox dicam, interceſſoribus & deprecatoribus ipſo Rufino & Calpurniano. Quod eo libentius Rufinus perfecit, quòd erat certus, ad vxorem ſuam, cuius ſtupra ſciens diſſimulat, non minimam partem præmij eius Craſſum relaturum. Vidi te quoque Maxime, coitionem aduerſum me, & coniurationem eorum pro tua ſapientia ſuſpicatum, ſimul libellus ille prolatus eſt, totam rem vultu aſpernantem. Denique quanquam ſunt ſoluta audacia & importuna impudentia præditi, tamen teſtimonium Craſſi, cuius oboluiſſe fæcem videbant, nec ipſi auſi ſunt perlegere, nec quidquam eo niti. Verùm ego iſta propterea commemoraui,

non quòd pinnarum formidines, & fuliginis maculam, te præsertim iudice, timerem: sed vt ne impunitum Crasso foret, quòd Æmiliano homini rustico fumum vendidit. Vnde etiam crimen ab illis, cum Pudentillæ litteras legerent, de cuiusdam sigilli fabricatione prolatum est. quod me aiunt ad Magica maleficia, occulta fabrica, ligno exquisitissimo comparasse: & cùm sit sceleti forma turpe & horribile, tamen impendio colere, & Græco vocabulo nuncupare βασιλέα. Nisi fallor, ordine eorum vestigia persequor, &, singillatim apprehendens: omnem calumniæ textum retexo. Occulta fuisse fabricatio sigilli, quod dicitis, quî potest? cuius vos adeò artificem non ignorastis, vt ei, vti præstò esset, denuntiaueritis? En, adest Corrnelius Saturninus artifex, vir inter suos & arte laudatus, & moribus comprobatus, qui tibi. Maxime, paulo antè diligenter sciscitanti, omnem ordinem gestæ rei summa cum fide & veritate percensuit: me, cùm apud eum multas geometricas formas è buxo vidissem subtiliter & adfabrè factas, inuitatum eius artificio, quædam mechanica, vt mihi elaboraret, petisse: simul & aliquod simulacrum cuiuscunque vellet Dei, cui ex more meo supplicarem, quacunque materia, dummodò lignea exsculperet. igitur primò buxeam tentasse. interim dum ego ruri ago, Sicinium Pontianum priuignum meum, qui mihi factum volebat, impetratos hebeni loculos à

muliere honeſtiſſima Capitolina ad ſe attuliſſe : ex illa potius materie rariore & durabiliore, vti faceret, adhortatum : id munus cum primis gratum mihi fore. ex ea ſe feciſſe, perinde vt loculi ſuppetebant. Ita minutatim ex tabellis compacta craſſitudine Mercuriolum expediri potuiſſe. Hæc, vt dico, omnia audiſti. Præterea à filio Capitolinæ probiſſimo adoleſcente, qui præſens eſt ſciſcitante te, eadem dicta ſunt : Pontianum loculos petiſſe, Pontianum Saturnino artifici detuliſſe. Etiam illud non negatur, pontianum à Saturnio perfectum ſigillum recipiſſe, & poſtea dono mihi dediſſe. His omnibus palàm atque apertè probatis, quid omnino ſupereſt, in quo ſuſpicio aliqua Magiæ deliteſcat ? immo quid omnino eſt quod vos manifeſti mendacij non reuincat ? Occultè fabricatum eſſe ſigillum dixiſtis, quod Pontianus ſplendidiſſimus eques fieri curauit : quod Saturninus, vir grauis, & probè inter ſuos cognitus, in tabernula ſua ſedens, propalàm exſculpſit : quod ornatiſſima matrona munere ſuo adiuuit : quod & futurum, & factum multi cùm ſeruorum, tum amicorum, qui ad me ventitabant, ſcierunt. Lignum à me toto oppido, & quidem oppidò quæſitum, non piguit vos commentiri ? quem quidem abfuiſſe eo tempore ſcitis, quem iuſſiſſe fieri qualicunque materia probatum eſt ? Tertium mendacium veſtrum fuit, macilentam, vel omnino euiſceratam formam

diri cadaueris fabricatam, prorsus horribilem & larualem. Quòd si compertum habebatis adeo euidens signum Magiæ: cur mihi vt exhiberem non denuntiastis? An vt possetis in rem absentem liberè mentiri? Cuius tamen falsi facultas, opportunitate quadam meę consuetudinis vobis adempta est. Nam morem mihi habeo, quoquò eam, simulacrum alicuius Dei inter libellos conditum gestare: eique diebus festis, thure & mero, & aliquando victimis supplicare. Dudum ergo cùm audirem sceletum perquam impudenti mendacio dictitari: iussi curriculò iret aliquis, & ex hospitio meo Mercuriolum afferret, quem mihi Saturninus iste Æeæ fabricatus est. Cedò tu: eum videant, teneant, considerent. En vobis, quem scelestus ille sceletum nominabat. Auditisne reclamationem omnium qui adsunt? Auditisne mẽdacij vestri damnationem? Non vos tot calumniarum tandem dispudet? Hiccine est sceletus? hæccine est larua? hoccine est quod appellitabatis Dæmonium? Magicum ne istud, an solenne & commune simulacrum est? Accipe quæso Maxime, & contemplare: bene tam puris & tam piis manibus tuis traditur res consecrata. En, vide quàm facies eius decora & succi plena sit, quàm hilaris Dei vultus: vt decenter vtrinque lanugo malis deserpat: vt in capite crispatus capillus sub imo pilei vmbraculo appareat: quàm lepidè super tempora pares pinnulæ emineant: quam autem festiue circa hume-

ros vestis substricta sit. Hunc qui sceletum audet dicere, profectò ille simulacra Deorum nulla videt, aut omnia negligit. Hunc denique qui Laruam putat, ipse est laruatus. At tibi Æmiliane pro isto mēdacio, duat Deus iste, Superûm & Inferûm commeator, vtrorumq; Deorum malam gratiam, sempérque obuias species mortuorum, quidquid Vmbrarum est vsquam, quidquid Lemurum, quidquid Manium, quidquid Laruarum, oculis tuis oggerat: omnia noctium occursacula, omnia bustorum formidamina, omnia sepulcrorum terriculamenta, à quibus tamen æuo & merito haud longè abes. Cæterùm Platonica familia nihil nouimus nisi festum, & lætum, & solemne, & superum, & cæleste. Quin altitudinis studio secta ista etiam cælo ipso sublimiora quæpiam vestigauit, & in extimo mundi tergo degit. Scit me vera dicere Maximus, qui τὸν ὑπερουράνιον τόπον ἐπὶ τῷ τοῦ οὐρανοῦ νώτῳ legit in Phædro diligenter. Idem Maximus optimè intelligit, (vt de nomine etiam vobis respondeam,) quísnam sit ille non à me primo, sed à Platone nuncupatus βασιλεύς, περὶ τὸν πάντων βασιλέα πάντ' ἐστὶ καὶ ἐκείνου ἕνεκα πάντα. totius rerum naturæ causa, & ratio, & origo initialis, summus animi genitor, æternus animantum sospitator, assiduus mundi sui opifex. Sed enim sine opera opifex, sine cura sospitator, sine propagatione genitor: neque loco, neque tempore, nec voce vlla comprehensus, eóq; paucis cogitabilis, nemini effa-

bilis. En, vltro augeo Magiæ ſuſpicionem. non reſpondeo tibi Æmiliane quem colam βασιλέα. Quin ſi ipſe proconſul interroget, quid ſit Deus meus, tacebo. De nomine, vt impræſentiarum ſatis dixi. Quod ſupereſt, nec ipſe ſum neſcius, quoſdam circumſtantium cupere audire, cur non argento vel auro, ſed potiſſimum ex ligno ſimulacrum fieri voluerim, ídque eos arbitror tam ignoſcendi quàm cognoſcendi cauſa deſiderare: vt hoc etiam ſcrupulo liberentur, cùm viderint omnem ſuſpicionem criminis abundè confutatam. Audi igitur, cui cura cognoſcere eſt: ſed animo quantum potes erecto & attento, quaſi verba ipſa Platonis iam ſenis, de nouiſſimo Legum libro auditurus: θεοῖσι δὲ ἀναθήματα χρεὼν ἔμμετρα τὸν μέτριον ἄνδρα ἀνατιθέντα δωρεῖσθαι. Γῆ μὲν οὖν ἑστία τε οἰκήσεως, ἱερὰ πᾶσι πάντων θεῶν: μηδεὶς οὖν δευτέρως ἱερὰ καθιερούτω θεοῖς. Hoc eò prohibet, vt delubra nemo audeat priuatim conſtituere. Cenſet etenim ſatis eſſe ciuibus ad immolandas victimas, templa publica. Deinde ſubnectit: χρυσὸς δὲ καὶ ἄργυρος ἐν ἄλλαις πόλεσιν ἰδίᾳ τε, καὶ ἐν ἱεροῖς ἐστὶν ἐπίφθονον κτῆμα: ἐλέφας δὲ ἀπολελοιπότος ψυχὴν σώματος, οὐκ εὐχερὲς ἀνάθημα. σίδηρος δὲ καὶ χαλκὸς, πολέμων ὄργανα. ξύλου δὲ μονόξυλον ὅ, τι ἂν ἐθέλῃ τις ἀνατιθέτω, καὶ λίθου ὡσαύτως πρὸς τὰ κοινὰ ἱερά. Vt omnium aſſenſus declarauit, maximéque qui in conſilio eſtis, competentiſſimè videor vſus Platone, vt vitæ magiſtro, ita cauſæ patrono, cuius legibus obedientem me videtis.

Nunc tempus eſt ad epiſtolas Pudentillæ præuerti, vel adeò totius rei ordinem paulo altiùs petere: vt omnibus manifeſtiſſimè pateat, me, quem lucri cupiditate inuaſiſſe Pudentillæ domum dictitant, ſi vllum lucrum cogitarem, fugere ſemper à domo iſta debuiſſe: quin & in cæteris cauſis minimè proſperum matrimonium, & niſi ipſa mulier tot incommoda virtutibus ſuis repenſaret, inimicum. Neque enim vlla alia cauſa præter caſſam inuidiam, reperiri poteſt, quæ iudicium iſtud mihi, & multa antea pericula vitæ conflauerit. Cæterùm cur Æmilianus commoueretur etſi verè me Magum comperiſſet, qui non modò vllo facto, ſed ne tantulo quidem dicto meo læſus eſt, vt videretur ſe merito vltum ire? Neque autem gloriæ cauſa me accuſat, vt M. Antonius Cn. Carbonem, C. Mutius A. Albutium, P. Sulpitius Cn. Norbanũ, C. Furius M. Aquilium, C. Curio Q. Metellum. Quippe homines eruditiſſimi, iuuenes laudis gratia primum hoc rudimentum forenſis operæ ſubibant, vt aliquo inſigni iudicio ciuibus ſuis noſcerentur. Qui mos incipientibus adoleſcentulis, ad illuſtrandũ ingenij florem, apud antiquos conceſſus, diu exoleuit. quòd ſi nunc quoque frequens eſſet, tamen ab hoc procul abfuiſſet. Nam neque facundiæ oſtentatio rudi & indocto, neq; gloriæ cupido ruſtico & barbaro, neq; inceptio patrociniorum capulari ſeni congruiſſet. niſi fortè Æmilianus, pro ſua ſeueritate

exemplum dedit, & ipſis maleficiis infenſus, accuſationem iſtam pro morum integritate ſuſcepit. At hoc ego Æmiliano, non huic Afro, ſed illi Africano & Numantino, & præterea Cenſorio vix credidiſſem: ne huic frutici credam non modò odium peccatorum, ſed ſaltem intellectum ineſſe. Quid igitur eſt? Cuiuis clarè dilucet aliam rem Inuidia nullam eſſe, quæ hunc, & Herennium Rufinum, impulſorem huius, (de quo mox dicam,) cæteróſque inimicos meos, ad nectendas Magiæ calumnias prouocarit. Quinque igitur res ſunt, quas me oportet diſputare. Nam ſi probè memini, quod ad Pudentillam attinet, hæc obiecêre. Vna res eſt, quòd *numquam eam voluiſſe nubere poſt priorē maritum, ſed meis carminibus coactam* dixere: altera res eſt *de epiſtolis eius* quam confeſſionem Magiæ putant: deinde *ſexageſimo anno ætatis ad libidinem nupſiſſe*: & *quod in villa, ac non in oppido, tabulæ nuptiales ſint conſignatæ*, tertio & quarto loco obiecere. Nouiſſima & eadem inuidioſiſſima criminatio *de dote* fuit. ibi omne virus totis viribus adnixi effudêre: ibi maximè angebantur. Atque ita dixere: me grandem dotem mox in principio coniunctionis noſtræ, mulieri amanti, remotis arbitris, in villa extorſiſſe. Quæ omnia tam falſa, tam nihili, tam inania oſtendam, adeóque facilè, & ſine vlla controuerſia refutabo; vt medius fidius verear Maxime, quíque in conſilio eſtis, ne demiſſum & ſubornatum à me accuſatorem pute-

tis, vt inuidiam meam reperta occaſione palàm reſtinguerem. Mihi credite, quod reapſe intelligetur, oppidò quàm mihi laborandum eſt, ne tam friuolam accuſationem me potius callidè excogitaſſe, quàm illos ſtultè ſuſcepiſſe exiſtimetis. Nunc dum ordinem rei breuiter perſequor, & efficio vt ipſe Æmilianus recognoſcat falſò ſe ad inuidiam meam inductum, & longè à vero aberraſſe neceſſe habeat confiteri, quæſo, vti adhuc feceritis, vel ſi quo magis etiam poteſtis, ipſum fontem & fundamentum mendacij huiuſce diligentiſſimè cognoſcatis. Æmilia Pudentilla, quæ nunc mihi vxor eſt, ex quodam Sicinio Amico, quicum antea nupta fuerat: Pontianum & Pudentem filios genuit: eóſque pupillos in poteſtate aui relictos paterni, (nam ſuperſtite patre Amicus deceſſerat) per annos fermè quatuordecim memorabili pietate ſedulò aluit. Non tamen libenter in ipſo ætatis ſuæ flore tam diu vidua. ſed puerorum auus inuitam eam conciliare ſtudebat alteri filio ſuo Sicinio Claro; eóque cæteros procos abſterrebat. & præterea minabatur, ſi extrario nupſiſſet, nihil ſe filiis eius ex paternis eorum bonis teſtamento relicturum. Quam conditionem cùm obſtinatè propoſitam videret mulier ſapiens, & egregiè pia: ne quid filiis ſuis eo nomine incommodaret, facit quidem tabulas nuptiales, cùm quo iubebatur, cum Sicinio Claro: verumenimuerò vanis fruſtra-

tionibus nuptias eludit, eo ad, dum puerorum auus fato concessisset, relictis filiis eius heredibus: ita vt Pontianus, qui maior natu erat, fratri suo tutor esset. Eo scrupulo liberata, cùm à principibus viris in matrimonium peteretur, decreuit sibi diutius in viduitate non permanendum Quippe vt solitudinis tædium perpeti posset, tamen ægritudinem corporis ferre non poterat. Mulier sanctè pudica, tot annis viduitatis sine culpa, sine fabula, assuetudine coniugis torpens, & diutino situ visceruin saucia, vitiatis intimis vteri, sæpe ad extremum vitæ discrimen doloribus obortis exanimabatur. Medici cum obstetricibus consentiebant, penuria matrimonij morbum quæsitum, malum in dies augeri, ægritudinem ingrauescere: dum ætatis aliquid supersit, nuptiis valetudinem medicandum. Consilium istud cùm alij approbarent, tum maximè Æmilianus iste, qui paulo priùs confidentissimo mendacio absceuerabat, numquam de nuptiis Pudentillam cogitasse priusquàm foret Magicis maleficiis à me coacta: me solum repertum, qui viduitatem eius, velut quanquam virginitatem, carminibus & venenis violarem. Sæpe audiui non de nihilo dici, *Mendacem memorem esse oportere.* At tibi Æmiliane non venit in mentem, priusquam ego Oeam venirem, te litteras etiam vti nuberet, scripsisse ad filium eius Pontianum, qui tum adultus Romæ agebat? Cedò tu epistolam,

vel potius da ipſi: legat. ſua ſibi voce, ſuiſque verbis ſeſe reuincat. *** EPISTOLA ÆMILIANI. Eſtne hæc tua epiſtola? quid palluiſti? nam erubeſcere tu quidem non potes: eſt ne tua iſta ſubſcriptio? Recita quæſo clarius, vt omnes intelligant, quantum lingua eius manu diſcrepet, quantúmque minor illi ſit mecum quàm ſecum diſſenſio. RELIQVVM EPISTOLÆ. *** Scripſiſti ne hæc Æmiliane, quæ lecta ſunt? *Nubere illam velle, & debere ſcio: ſed quem eligat, neſcio.* Rectè tu quidem, neſciebas. Pudentilla enim tibi, cuius infeſtam malignitatem probè norat, de ipſa re tantùm, cęterùm de petitore nihil fatebatur. At tu dum eam putas etiam nunc Claro fratri tuo denupturam, falſa ſpe inductus, filio quoque eius Pontiano auctor aſſentiendi fuiſti. Igitur ſi Claro nupſiſſet, homini ruſticano & decrepito ſeni, ſponte eam diceres, ſine vlla Magia, iam olim nupturiſſe: quoniam iuuenem talem, qualem dicitis, elegit, coactam feciſſe ais: cæterùm ſemper nuptias aſpernatam. Neſciſti improbe, epiſtolam tuam de iſta re teneri: neſciſti te tuomet teſtimonio conuictum iri. Quam tamen epiſtolam Pudentilla, teſtem & indicem tuæ voluntatis, vt quæ te leuem & mutabilem, nec minus mendacem & impudentem ſciret, maluit retinere, quàm mittere. Cæterùm ipſa de ea re Pontiano filio ſuo Romam ſcripſit: etiam cauſas conſilij ſui plenè allegauit. Dixit illa omnia de valetudine: nihil præ-

gies possidebat. Ex quo sanè aliquantam pecuniam, nullis tabulis, sed(vt æquum erat,) mera fide acceptam, filiis debebat. Hunc ille timorem mussitabat, aduersari propalàm non audebat, ne videretur diffidere. Cùm in hoc statu res esset, (inter precationem matris, & metum filij;) forte ne an fato, ego aduenio, pergens Alexandriam. Dixissem herculè, Quod vtinam nunquam euenisset, ni me vxoris meæ respectus prohiberet. Hyems anni erat. Ego ex fatigatione itineris adfectus, apud Appios veteres amicos meos, (quos honoris & amoris gratia nomino,) aliquammultis diebus decumbo. Eò venit ad me Pontianus. nam fuerat mihi non ita ante multos annos Athenis, per quosdam communeis amicos conciliatus, & arto postea contubernio intimè iunctus. facit omnia circa honorem meũ obseruanter, circa salutem sollicitè, circa amorem callidè. Quippe etenim videbatur sibi peridoneum maritum matri reperisse, cui bono periculo totam domus fortunam concrederet. Ac primò quidem voluntatem meam verbis inuersis periclitabundus, quoniam me viæ cupidum & conuersum ab vxoria re videbat, orat saltem paulisper manerem. velle se mecum proficisci: hyemem alteram propter Syrtis æstus & bestias opperiendam, quòd illam mihi infirmitas exemisset. Multis etiam precibus me ab amicis meis Appiis aufert, vt ad sese in domum matris suæ transferat, salubriorem mihi

habitationem futuram: prætereà proſpectu maris, qui mihi gratiſſimus eſt, liberius me ex ea fruiturum. Hæc omnia, adnixus impenſo ſtudio, perſuadet: & matrem ſuam, ſuúmque fratrem puerum iſtum mihi commendat. nonnihil à me in communibus ſtudiis adiuuantur. augetur oppidò familiaritas. Interibi reualeſco. Diſſero aliquid, poſtulantibus amicis, publicè. omnes qui aderant, ingenti celebritate baſilicam, (qui locus auditorij erat,) complentes, inter alia pleraque congruentiſſima voce inſigniter acclamant, petentes vt remanerem, fierémque ciuis Oeenſium. Mox auditorio miſſo, Pontianus eo principio me adortus, conſenſum publicæ vocis pro diuino auſpicio interpretatur: aperítque, conſilium ſibi eſſe, ſi ego non nolim, matrem ſuam, cui plurimi inhient, mecum coniungere, quoniam mihi ſoli, ait, rerum omnium confidere ſeſe, & credere, vt id onus recipiam: quoniam non formoſa pupilla, ſed mediocri facie mater liberorum mihi offeratur. Sin hæc reputans, formæ aut diuitiarum gratiâ me ad aliam conditionem reſeruarem, neque pro amico, neque pro philoſopho facturum. Nimis multa oratio eſt, ſi velim memorare quæ ego contrà reſponderim, quàm diu, & quoties inter nos verbigeratum ſit, quot & qualibus precibus me adgreſſus, haud prius omiſerit, quàm denique impetrarit. non quin ego Pudentillam iam anno perpetim aſſiduo conuictu pro-

bè ſpectaſſem, & virtutum eius dotes exploraſſem. ſed vt pote peregrinationis cupiens, impedimentum matrimonij aliquantiſper recuſaueram: mox tamen talem feminam nihilo ſegniùs volui, quam ſi vltrò appetiſſem. Perſuaſerat idem Pontianus matri ſuæ, vt me aliis omnibus mallet: & quamprimum hæc perficere incredibili ſtudio auebat. Vix ab eo tantulam moram impetramus, dum prius ipſe vxorem duceret: frater eius virilis togæ vſum auſpicaretur: tunc deinde vt nos coniungeremur. Vtinam hercule poſſem, quæ deinde dicenda ſunt, ſine maximo cauſæ diſpendio tranſgredi: ne Pontiano, cui errorem ſuum deprecanti ſimpliciter ignoui, videar nũc leuitatem exprobrare. Confiteor enim, quod mihi obiectum eſt, eum, poſtquam vxorem duxerit, à conſpecta fide deſciuiſſe, ac derepentè animi mutatum, quod antea nimio ſtudio feſtinarat, pari pertinacia prohibitum iſſe: denique matrimonium noſtrum ne coaleſceret, quiduis pati, quiduis facere paratum fuiſſe. Quamuis omnis illa tam animi fœda mutatio, & ſuſcepta contra matrem ſimultas, non ipſi vitio vortenda ſit, ſed ſocero eius eccilli Herennio Rufino: qui vnum neminem in terris viliorem ſe, aut improbiorem, aut inquinatiorem reliquit. Perpaucis hominem, quàm modeſtiſſimè potero, neceſſariò demonſtrabo: ne ſi omninò de eo reticuero, operam perdiderit, quòd negotium iſtud mihi ex ſummis

viribus conflauit. Hic est enim pueruli huius instigator, hic accusationis auctor, hic aduocatorum conductor, hic testium coëmptor, hic totius calumniæ fornacula, hic Æmiliani huius fax & flagellum. Idque apud omneis interperantissimè gloriatur, me suo machinatu reum postulatum. Et sanè habet in istis quod sibi plaudat: est enim omnium litium depector, omnium falsorum commentator, omnium simulationum architectus, omnium malorum seminarium: nec non idem libidinum ganearumque locus, lustrum, lupanar: iam inde ab ineunte æuo cunctis probris palam notus: olim in pueritia, priusquàm isto caluitio deformaretur, emasculatoribus suis ad omnia infanda morigerus: mox in iuuentute saltandis fabulis exossis planè & eneruis, sed, vt audio, indocta & rudi mollitia, negatur enim quidquam histrionis habuisse, præter impudicitiam. In hac etiam ætate, qua nunc est, qui istum deperduint multi sunt. Honos auribus præfandus est: domus eius tota lenonia, tota familia contaminata: ipse propudiosus, vxor lupa, filij similes prorsus: diebus ac noctibus ludibrio iuuentutis ianua calcibus propulsata, fenestræ canticis circumstrepitæ, triclinium comissatoribus inquietum, cubiculum adulteris peruium. neque enim vlli ad introeundum metus est, nisi qui pretium marito non attulit. Ita ei lecti sui contumelia vectigalis est. Olim solens suo, nunc coniugis cor-

pore vulgò meret. Cum ipſo plerique, nec mentior, cum ipſo inquam de vxoris noctibus paciſcuntur. Iam illa inter virum & vxorem nota colluſio, qui amplam ſtipem mulieri detulerunt, nemo eos obſeruat, ſuo arbitratu aſcendunt: qui inaniores venêre, ſigno dato pro adulteris deprehenduntur: &, quaſi ad diſcendum venerint, non prius abeunt quàm aliquid ſcripſerint. Quid enim faciat homo miſer, ampliuſcula fortuna deuolutus, quam tamen fraude patris ex inopinato inuenerat? Pater eius plurimis creditoribus defœneratus, maluit retinere pecuniam quàm pudorem: nam cùm vndiqueuerſum tabulis flagitaretur, & quaſi inſanus ab omnibus obuiis teneretur; Lex, inquit, negat poſſe diſſoluere: annulos aureos & omnia inſignia dignitatis abiicit: cum creditoribus depaciſcitur. Pleraque tamen rei familiaris in nomen vxoris callidiſſima fraude confert: ipſe egens, nudus, at ignominia ſua tectus, reliquit Rufino huic, non mentior, HS XXX. deuorandum. Tantum enim ad eum de bonis matris liberum venit, præter quod ei vxor ſua quotidianis dotibus quæſiuit. Quæ tamen omnia in paucis annis ita hic degulator ſtudioſè in ventrem condidit, & omnimodis collurcinationibus dilapidauit: vt crederes metuere, ne quid habere ex fraude paterna diceretur. homo iuſtus, & morum * dedit operam quod malè partum erat, vt malè periret; nec quidquam ei relictum eſt ex lar-

giore Fortuna, præter ambitionem miseram, & profundam gulam. Cæterùm vxor iam propemodum vetula & effœta, totam domum contumeliis abnuit. Filia autem per adolescentulos ditiores, inuitamento matris suæ nequidquam circumlata, quibusdam etiam procis ad experiundum permissa, nisi in facilitatem Pontiani incidisset, fortassean adhuc, vidua antè quàm nupta, domi sedisset. Pontianus ei, multum quidem dehortantibus nobis, nuptiarum titulum falsum & imaginarium donauit; non nescius eam paulo antè quàm duceret, à quodam honestissimo iuuene, cui prius pacta fuerat, post satietatem, derelictam. Venit igitur ad eum noua nupta, secura & intrepida, pudore dispoliato, flore exoleto, flammeo obsoleto; virgo rursum post recens repudium, nomen potius afferens puellæ quàm integritatem; vectab[illegible]ophoro: vidistis profectò, qui affuistis, quàm improba iuuenum circumspectatrix, quàm immodica sui ostentatrix. Quis non disciplinam matris agnouit, cùm in puella videret immedicatum os, & purpurissatas genas, & illices oculos? Dos erat à creditore omnis ad teruncium pridie sumpta, & quidem grandior quàm domus exhausta, & plena liberis postulabat. Sed enim iste, vt est rei modicus, spei immodicus, pari auaritia & egestate, totum Pudentillæ quadragies præsumptione cassa deuorarat. eóq; me amoliendum ratus, quo facilius Pontiani facilitatem,

Pudentillæ ſolitudinem circumueniret, infit generum ſuum obiurgare, quòd matrem ſuam mihi deſponderat. ſuadet, quam primum ex tanto periculo, dum licet, pedem referat, res matris ipſe potius habeat, quàm homini extrario ſciens tranſmittat. ni ita faciat, iniicit ſcrupulum amanti adoleſcentulo veterator: minatur ſe filiam abducturum. Quid multis? iuuenem ſimplicem, præterea nouæ nuptæ illecebris obfrænatum, ſuo arbitratu de via deflectit. It ille ad matrem, verborum Rufini gerulus: ſed nequidquam tentata eius grauitate, vltro ipſe leuitatis & inconſtantiæ increpitus, reportat ad ſocerum haud mollia: Matri ſuæ, præter ingenium placidiſſimum, & immobile, iram quoque ſua expoſtulatione acceſſiſſe, non mediocre pertinaciæ adiumentum. Reſpondiſſe eam denique, non clàm ſe eſſe, Rufini ex oratione ſecum expoſtulari: eò vel magis ſibi auxilium mariti aduerſum eius deſperatam auaritiam comparandum. Hiſce auditis exacerbatus aquariolus iſte vxoris ſuæ, ita ira extumuit, ita exarſit furore, vt in fæminam ſanctiſſimam & pudiciſſimam, præſente filio eius, digna cubiculo ſuo diceret: amatricem eam, me Magum & veneficum clamitaret, multis audientibus, quos, ſi voles, nominabo: ſe mihi ſua manu mortem illaturum. Vix hercule poſſum iræ moderari. Ingens indignatio animo oboritur. Túne effeminatiſſime, tua manu cuiquam viro mortem minitaris? At

qua tandem manu? Philomelæ?an Medeæ?an Clytæmnestræ?quas tamen cum saltas,tãta mollitia animi, tanta formido ferri est, sine cludine saltas. Sed ne longiùs ab ordine digrediar, Pudentilla, postquam filium videt præter opinionẽ,contra suam esse sententiam deprauatum, rus profecta, scripsit ad eum obiurgandi gratia illas famosissimas litteras, quibus, vt isti aiebant, confessa est, sese mea Magia in amorem inductam dementare. Quas tamen litteras è tabulario publico, præsente & contrascribente Æmiliano, nudiustertius tuo iussu Maxime testatò descripsimus. in quibus omnia contra prædicationem istorum pro me reperiuntur. Quamquam etsi districtius Magum me dixisset, posset videri excusabunda se, filio vim meam quàm voluntatem suam causari maluisse. An sola Phædra falsum epistolium de amore commenta est? An non omnibus mulieribus hæc ars vsitata est, vt cùm aliquid eiusmodi velle cœperunt, malint coactæ videri? Quod si animo etiam ita putauit me Magum esse, idcirco ne Magus habear, quia hoc scripsit Pudentilla? Vos tot argumentis, tot testibus, tanta oratione, Magum me non probatis: illa vno verbo probaret? Et quanto tandem grauius habendum est, quod in iudicio subscribitur, quàm quod in epistola scribitur? Quin tu me meismet factis, non alienis verbis reuincis? Cæterùm eâdem viâ multi rei cuiusuis maleficij postulabuntur, si ratum futu-

rum

rum eſt, quod quiſque in epiſtola ſua vel amore vel odio cuiuſpiam ſcripſerit. Magum te ſcripſit Pudentilla: igitur magus es. Quid ſi conſulem me ſcripſiſſet, conſul eſſem? Quid enim ſi pictorem, ſi medicum? quid denique ſi innocentem? num aliquid horum putares, idcirco quòd illa dixiſſet? Nihil ſcilicet. Atqui periniurium eſt ei fidem in peioribus habere, cui in melioribus non haberes: poſſe literas eius ad perniciem, non poſſe ad ſalutem. *Sed inquieti animi fuit: efflictim te amabat.* Concedo interim. Num tamen omnes qui amantur Magi ſunt, ſi hoc fortè qui amat ſcripſerit? Cedo nunc, quòd Pudentilla me in eo tempore non amabat, ſi quidem id foris ſcripſit, quod palàm erat mihi obfuturum. Poſtremò quid vis, ſanam an inſanam fuiſſe, dum ſcriberet? Sanam, dices? nihil ergo erat Magicis artibus paſſa. Inſanam reſpondebis? neſcit ergo quid ſcripſerit: eòque ei fides non habenda eſt. immo etiam ſi fuiſſet inſana, inſanam ſe eſſe neſciſſet. Nam vt abſurdé facit, qui tacere ſe dicit, quòd ibidem dicendo tacere ſeſe, non tacet, & ipſa profeſſione quod profitetur infirmat: ita vel magis hoc repugnat, *Ego inſanio,* quod verum non eſt, niſi ſciens dicit. Porrò ſanus eſt, qui ſcit quid ſit inſania. Quippe inſania ſcire ſe non poteſt; non magis quàm cæcitas ſe videre. Igitur Pudentilla compos mentis fuit, ſi compotem mentis ſe non putabat. Poſſum, ſi velim pluri-

bus sed mitto Dialectica. Ipsas litteras longè aliud clamanteis, & quasi dedita opera ad iudicium istud præparatas & accommodatas recitabo. Accipe tu, & lege, vsque dum ego interloquar. LITERÆ PVDENTILLÆ. * * * * Substine paulisper quę sequuntur, nam ad diuerticulum rei ventum est. Ad huc enim Maxime, quantum equidem animaduerti, nusquam mulier Magiam nominauit: sed ordinem repetiuit eundem, quem ego paulo prius, de longa viduitate, de remedio valetudinis, de voluntate nubendi, de meis laudibus, quas ex Pontiano cognouerat, de suasu ipsius vt mihi potissimùm nuberet, Hæc vsque adhuc lecta sunt. Superest ea pars epistolæ, quæ similiter pro me scripta, in memetipsum vertit cornua: ad expellendum à me crimen Magiæ, sedulò missa, memorabili laude Rufini vocem mutauit; & vltro contrariam mihi opinionem quorumdam Oeensium, quasi Mago quæsiuit. Multa fando Maxime audisti, & plura legendo didicisti, non pauca experiundo comperisti: sed enim versutiam tam insidiosam, tam admirabili scelere conflatam, negabis te vnquam cognouisse. Quis Palamedes, quis Sisyphus, quis denique Eurybates aut Phrynondas talem excogitasset? Omnes isti, quos nominaui, & si qui præterea fuerunt dolo memorandi, si cum hac vna Rufini fallacia contendantur, macci prorsus & buccones videbuntur. O mirum commentum! ô subtilitas di-

gna carcere & robore! Quis credat effici potuisse, vt quæ defensio fuerat, eadem, manentibus iisdem litteris, in accusationem transuerteretur? Est hercule incredibile. Sed hoc incredibile quî sit factum probabo. Obiurgatio erat matris ad filium, quòd me talem virum, qualem sibi prædicasset, nunc de Rufini sententia Magum dictitaret. Verba ipsa ad hunc modum se habebant: Ἀπυλεϊος μάγος, καὶ ἐγὼ ὑπ' αὐτοῦ μεμάγευμαι. καὶ ἐρῶ· καὶ ἐλθέτω νῦν πρὸς ἐμὲ, ἕως ἔτι σωφρονῶ. Hæc ipsa verba Rufinus, quæ Græcè interposuit, sola excerpta, & ab ordine suo seiugata, quasi confessionem mulieris circumferens, & Pontianum per forum ductans, vulgo ostendebat.. Ipsas mulieris litteras illatenus, qua dixi, legendas præbebat: cætera suprà & infrà scripta occultabat: turpiora esse, quàm vt ostenderentur, dictitabat. Satis esse, confessionem mulieris de Magia cognosci. Quid quæris? verisimile omnibus visum. Quæ purgandi mei gratia scripta erant, eadem mihi immanem inuidiam apud imperitos conciuere. Turbabat impurus hic, in medio foro bacchabundus: epistolā sæpe aperiens, proquiritabat, *Apuleius Magus: dicit ipsa quæ sentit & patitur. quid vultis amplius?* Nemo erat qui pro me ferret, ac sic responderet: Totam sodes epistolam cedo: sine omnia inspiciam: principio ad finem perlegam· Multa sunt, quæ sola prolata calumniæ possint videri obnoxia. Cuiuis oratio insimulari potest; si ea quæ ex prioribus nexa sunt,

principio ſui defraudentur : ſi quædam ex ordine ſcriptorum ad libidinem ſupprimantur : ſi quæ ſimulationis cauſa dicta ſunt , adſeuerantis pronuntiatione quàm exprobrantis legantur. Hæc , & id genus ea, quam meritò tunc dici potuerint , ipſe ordo epiſtolæ oſtendat. At tu Æmiliane recognoſce , an & hæc mecum teſtatò deſcripſeris : βουλομένην γὰρ μὲ δι' ἃς εἶπον αἰτίας γαμηθῆναι, αὐτὸς τοῦτον ἔπεισας ἀντὶ πάντων αἱρεῖσθαι, θαυμάζων τὸν ἄνδρα, καὶ σπουδάζων αὐτὸν οἰκεῖον ἡμῖν δι' ἐμοῦ ποιῆσαι. νῦν δὲ ὡς μοχθηροὶ ὑμᾶς κακοήθεις τε ἀναπείθουσιν, αἰφνίδιον ἐγένετο Ἀπουλεῖος μάγος, καὶ ἐγὼ μεμάγευμαι ὑπ' αὐτοῦ. καὶ ἐρῶ, καὶ ἐλθέτω νῦν πρὸς ἐμέ, ἕως ἔτι σωφρονῶ. Oro te Maxime , ſi litteræ ita vt partim vocales dicuntur, etiam , propriam vocem vſurparent: ſi verba , ita vt poëtæ aiunt, pinnis apta vulgò volarēt; nónne cū primùm epiſtolam iſtā Rufinus mala fide excerperet,pauca legeret,multa & meliora ſciēs reticeret:nónne tunc cæteræ litteræ ſceleſtè ſe detineri proclamaſſent? verba ſuppreſſa de Rufini manibus foras euolaſſent ? totū forum tumultu cōpleſſent?ſe quoque à Pudentilla miſſas, ſibi etiam quæ dicerent mandata ? improbo ac nefario homini per alienas litteras falſum facere tentanti ne auſcultarēt, ſibi potius audirent : Apuleium Magiæ non accuſatum à Pudentilla , ſed accuſante Rufino abſolutū. Quæ omnia etſi tum dicta non ſunt , tamen nunc cùm magis proſunt, luce illuſtriùs apparent. Patent artes tuæ Rufine, fraudes hiant , detectum menda-

cium eſt. Veritas olim interuerſa nunc ſe effert, & velut alto barathro calumniæ emergit. Ad litteras Pudentillæ prouocaſtis : literis vinco. quarum ſi vultis extremam quoque clauſulam audire, non inuidebo. Dic tu, quibus verbis epiſtolam finierit mulier obcantata, vecors, amens, amans. ἐγὼ οὔτε μεμάγευμαι· ὅτι δ᾽ ἐρῶ, αἰτία ἡ εἱμαρμένη ἐστί. Etiámne amplius? Reclamat vobis Pudentilla, & ſanitatem ſuam à veſtris calumniis quodam præconio vindicat. Nubendi autem ſeu rationem, ſeu neceſſitatem Fato adſcribit, à quo multùm Magia remota eſt, vel potius omnino ſublata. Quæ enim relinquitur vis cantaminibus & veneficiis, ſi Fatum rei cuiuſque veluti violentiſſimus torrens, neque retineri poteſt, neque impelli ? Igitur hac ſententia ſua Pudentilla non modò me Magum, ſed omnino eſſe Magiam negauit. Bene, quòd integras epiſtolas matris Pontianus ex more adſeruauit : bene, quòd vos feſtinatio iudicij anteuortit, ne quid in iſtis litteris ex otio nouaretis. Tuum hoc Maxime, tuæque prouidentiæ beneficium eſt, quòd à principio intellectas calumnias, ne corroborarentur tempore, præcipitaſti, & nulla impertita mora ſubneruaſti. Finge nunc, aliquid matrem filio ſecretis literis de amore, vti aſſolet, confeſſam. hoccine verum fuit Rufine, hoc non dico pium, ſed ſaltem humanum, promulgari eas litteras, & potiſſimùm filij præconio publicari ? Sed

ſum ego inſcius, qui poſtulo vt alienum pudorem conſerues, qui tuum perdideris? Cur autem præterita conqueror, cùm non ſint minus acerba præſentia? Hucuſque à vobis miſerum iſtum puerum deprauatum, vt matris ſuæ epiſtolas, quas putat amatorias, pro tribunali Proconſuli recitet, apud virum ſanctiſſimum Claudium Maximum; ante has Imperatoris Pij ſtatuas, filius matri ſuæ pudenda exprobret ſtupra, & amores obiectet? Quis tam eſt mitis, quin exacerbeſcat? Túne vltro parentis tuæ animum in iſtis ſcrutaris? oculos obſeruas? ſuſpiritus numeras? affectiones exploras? tabulas intercipis? amorem reuincis? Túne quod in cubiculo agat, perquiris, ne mater tua amatrix, ſed omnino femina? eſtne vt in ea cogites niſi vnam parentis religionem? O infelix vterum tuum Pudentilla! ô ſterilitas liberis potior! ô infauſti decem menſes! ô ingrati quatuordecim anni viduitatis! Vipera, vt audio, exeſo matris vtero in lucem proſerpit, atque ita parricidio gignitur. At enim tibi à filio iam adulto, acerbiores morſus viuenti & videnti offeruntur. Silentium tuum laniatur, pudor tuus carpitur, pectus tuum foditur, viſcera intima protrahuntur. Haſcine gratias bonus filius matri rependis, ob datam vitam? ob adquiſitam hereditatem? ob quatuordecim annorum longas alimonias? Hiſcine te patruus diſciplinis erudiuit, vt ſi compertum habeas filios tibi ſimiles

futuros, non audeas ducere vxorem? Eſt ille poëtæ vrſus non ignotus:

Odi puerulos præcoci ſapientia:

ſed enim malitia præcoci puerum quis non auerſetur, atque oderit? cùm videat velut monſtrũ quoddam, prius robuſtum ſcelere quàm tempore: antè nocentem quàm potentem: viridi pueritia, cana malitia? vel potius hoc magis noxium, quod cum venia pernicioſus eſt: & nondum pœnæ, iam iniuriæ ſufficit. Iniuriæ dico? immò enim ſceleri aduerſum parentem nefando, immani, impetibili. Athenienſes quidem, propter commune ius humanitatis, ex captiuis epiſtolis Philippi Macedonis hoſtis ſui, vnam epiſtolam, cùm ſingulæ publicè legerentur, recitari prohibuerunt, quæ erat ad vxorem Olympiadem conſcripta: hoſti potius pepercerunt, ne maritale ſecretum diuulgarent: præferendum rati fas commune, propriæ vltioni. Tales hoſtes, aduerſus hoſtem: tu qualis filius aduerſus matrem? Vides quàm ſimilia contendam? Tu tamen filius, matris epiſtolas, de amore, vt ais, ſcriptas, in iſto cœtu legis. in quo ſi aliquem poëtam laſciuiorem iubereris legere, profectò non auderes: pudore tamen aliquo impedirêre: immò enim nunquam matris tuæ litteras attigiſſes, ſi vllas alias litteras attigiſſes. Atquin auſus es tuam ipſius epiſtolam legendam dare, quam nimis irreuerenter, nimis contumelioſè & turpiter de matre

tua scriptam, cùm adhuc in eius sinu alerêre, miseras clanculo ad Pontianum: scilicet ne semel peccasses, ac tam bonum tuum factum obliuio capesseret. Miser non intelligis, idcirco patruum tuum hoc fieri passum, quo se omnibus purgaret, si ex literis tuis nosceretur, te etiam prius quàm ad eum commigrasses, etiam cùm matri blandirere, tamen iam tum vulpionem & impium fuisse. Cæterùm nequeo in animum inducere, tam stultum Æmilianum esse, vt arbitretur mihi litteras pueri, & eiusdem accusatoris mei obfuturas. Fuit & illa commenticia epistola, neque mea manu scripta, neque verisimiliter conficta, qua videri volebant blanditiis à me mulierem sollicitatam. Cur ego blandirer, si Magiæ confidebam? Qua autem via ad istos peruenit epistola, ad Pudentillam scilicet per aliquem fidelem missa, vt in re tali actitari solet? Cur præterea tam vitiosis verbis, tam barbaro sermone ego conscriberem, quem iidem dicunt nequaquam Græcæ linguæ imperitum? Cur autem tam absurdis támque tabernariis blanditiis subagitarem, quem iidem aiunt versibus amatoriis satis scitè lasciuire: Sic est profectò: cuiuis palàm est: hic qui epistolam Pudentillæ Græcatiorem legere non poterat, hanc vt suam facilius legit, & aptiùs commendauit. Sed iam de epistolis satis dictum habebo, si hoc vnum addidero: Pudentillam, quæ scripserat dissimulamenti causa & deridiculi,

diculi, ἐλλεβορίζω ἴσως ἔτι σωφρονῶ, post hasce litteras euocasse ad se filios, & nurum: cùm his fermè duobus mensibus conuersatam. Dicat hic pius filius, quid in eo tempore secus agentem vel loquentem matrem suam propter insaniam, viderit. Neget eam rationibus villicorum, & opilionum, & equisonum solertissimè subscripsisse: neget fratrem suum Pontianum grauiter ab ea monitum, vt sibi ab insidiis Rufini caueret: neget verè obiurgatum, quòd litteras, quas ad eum miserat, vulgò circumtulisset, nec tamen bona fide legisset: neget post ista quæ dixi, matrem suam mihi apud villam iampridem condicto loco nupsisse. Quippe ita placuerat, in suburbana villa potius vt coniungeremur, ne ciues denuò ad sportulas conuolarent: cùm haudpridem Pudentilla de suo quinquaginta millia nummûm in populum expunxisset, ea die qua Pontianus vxorem duxit, & hic puerulus toga est inuolutus. Præterea vt conuiuiis multis ac molestiis supersederemus, quæ fermè ex more nouis maritis obeunda sunt. Habes Æmiliane causam totam, cur tabulæ nuptiales inter me ac Pudentillam non in oppido sint, sed in villa suburbana consignatæ: ne quinquaginta millia nummum denuo profundenda essent, nec tecum aut apud te cænandum. Est ne causa idonea? Miror tamen, quòd tu à villa tantòpere abhorreas, qui plerumque ruri versêre. Lex quidem Iulia de maritandis ordinibus, nunquam

ſcilicet ad hunc modum interdicit: VXOREM IN VILLA NE DVCITO. Immò ſi verum velis, vxor ad prolem multo auſpicatius in villa quàm in oppido ducitur: in ſolo vberi, quàm in loco ſterili: in agri ceſpite, quàm in fori ſilice: mater futura in ipſo materno ſinu, ac in ſegete adulta ſuper fœcundam glebam: vel enim ſub vlmo marita cubet in ipſo gremio Terræ matris, inter ſoboles herbarum, & propagines vitium, & arborum germina. Ibi & ille celeberrimus in Comœdiis verſus de proximo congruit, * * * * * * * * Romanorum etiam maioribus, Quintiis & Serranis, & multis aliis ſimilibus, non modò vxores, verùm etiam Conſulatus & Dictaturæ in agris offerebantur. Cohibebo me in tam prolixo loco, ne tibi gratum faciam, ſi villam laudauero. De ætate verò Pudentillæ, de qua poſt iſta ſatis confidenter mentitus es, vt etiam ſexaginta annos natam diceres nupſiſſe, de ea paucis tibi reſpondebo. nam in re tam perſpicua non eſt neceſſe pluribus diſputare. Pater eius natam ſibi filiam more cæterorum profeſſus eſt: tabulæ eius partim tabulario publico, partim domo adſeruantur: quæ tibi ob os obiiciuntur. Porrige Æmiliano tabulas iſtas. lignum conſideret, ſigna quæ impreſſa ſunt recognoſcat, Conſules legat, annos computet. quos ſexaginta mulieri aſſignabat, probet quinque & quinquaginta. Luſtro mentitus

eſt: parum hoc eſt: liberalius agam. nam & ipſe Pudentillæ multos annos largitus eſt: redonabo igitur viciſſim. Decem annos Mezentius cum Vlixe errauit: quinquaginta ſaltem annorum mulierem oſtendat. Quid multis? vt cum quadruplatore agam, bis duplum quinquennium faciam, viginti annos ſemel detraham. Iube Maxime Conſules computari. niſi fallor, inuenies nunc Pudentillæ haud multo amplius quadrageſimum annum ætatis ire. O falſum audax & nimium! ô mendacium viginti annorum exilio puniendum; dimidio tanta Æmiliane mentiri falſa audes & ſeſquialtera? Si triginta annos pro decem dixiſſes: poſſes videri pro computationis geſtu erraſſe: quos circulare debueris digitos, aperuiſſe. Cùm verò quadraginta, quæ facilius cæteris porrecta palma ſignificantur, ea quadraginta tu dimidio auges, non potes digitorum geſtu erraſſe. niſi fortè triginta annorum Pudentillam ratus, binos cuiuſque anni Conſules numeraſti. Miſſa hæc facio. Venio nunc ad ipſam ſtirpem accuſationis, ad ipſam cauſam maleficij. Reſpondeat Æmilianus & Rufinus ob quod emolumentum, etſi maximè Magus forem, Pudentillam carminibus & venenis ad matrimoniũ pellexiſſem. Atque ego ſcio pleroſque reos alicuius facinoris poſtulatos, ſi fuiſſe quæpiam cauſæ probarentur, hoc vno ſe tamen abunde defendiſſe, vitam ſuam procul ab huiuſmodi ſceleri-

bus abhorrere: nec id ſibi obeſſe debere, quòd videantur quędam fuiſſe ad maleficium perpetrãdum inuitamenta. Non enim omnia quæ fieri potuerint, pro factis habenda. Rerum vices varias euenire: certum indicem cuiuſque animum eſſe: qui ſemper eodem ingenio ad virtutem vel ad malitiam moratus, firmum argumentum eſt accipiendi criminis, aut reſpuendi. Hæc ego quanquam poſſim meritò dicere, tamen vobis condono: nec ſatis mihi duco, ſi me omnium quæ inſimulaſtis abundè purgaui, ſi nuſquam paſſus ſum vel exiguam ſuſpicionem Magiæ conſiſtere. Reputate vobiſcum, quanta fiducia innocentiæ meæ, quantóq; deſpectu veſtri agam; ſi vna cauſa vel minima fuerit inuenta cur ego debuerim Pudentillæ nuptias ob aliquod meum commodum appetere: ſi quamlibet modicum emolumentum probaueritis; ego ille ſim Carinondas, vel Damigeron, vel is Moſes, vel Iannes, vel Apollonius, vel ipſe Dardanus, vel quicunque alius poſt Zoroaſtrem & Hoſtanem inter Magos celebratus eſt. Vide quæſo, Maxime, quem tumultum ſuſcitarint, quoniam ego paucos magorum nominatim percenſui. Quid faciam tam rudibus, tam barbaris? Doceam Rufinum, hæc & multo plura alia nomina in bibliothecis publicis apud clariſſimos ſcriptores me legiſſe? an diſputem, longè aliud eſſe notitiam nominum, aliud artis eiuſdem habere communionem: nec debere doctrinæ inſtru-

mentum & eruditionis memoriam pro confessione criminis haberi? An quod multo præstabilius est, tua doctrina Claudi Maxime, tuáque perfecta eruditione fretus, contemnam stultis & impolitis ad hæc respondere? Ita potius faciam. quid illi existiment nauci non putabo. Quod institui, pergam disputare: nullam mihi causam fuisse, Pudentillam veneficiis ad nuptias prolectandi. Formam mulieris & ętatem ipsi vltro improbauerunt, idque mihi vitio dederunt, talem vxorem causa auaritiæ concupisse: atque adeò primo dotem in congressu grandem & vberem rapuisse. Ad hæc, Maxime, longa oratione fatigare te non est consilium. Nihil verbis opus est, cum multo disertius ipsæ tabulæ loquantur: in quibus omnia contrà quàm isti ex sua rapacitate de me quoque coniectauerunt, facta impræsentiarum, & prouisa in posterum deprehendes. Iam primùm mulieris locupletissimæ modicam dotem, neque eam datam, sed tantummodo promissam. Præter hæc, ea conditione factam coniunctionem, si nullis ex me susceptis liberis vita demigrasset, vt dos omnis apud filios eius Pontianum & Pudentem maneret: sin verò vno vnáue superstite diem suum obisset; vti tum diuidua pars dotis posteriori filio, reliqua prioribus cederet. Hæc, vt dico, tabulis ipsis docebo. Fors fuerit, vt ne sic quidem credat Æmilianus, sola trecenta millia nummûm scripta, eorúmque repetitionem filiis

Pudentillæ pacto datam. Capiens ipse tu manibus tuis tabulas istas, da impulsori tuo Rufino, legat. Pudeat illum tumidi animi sui, & ambitiosæ mendicitatis. quippe ipse egens, nudus, CCCC millibus nummûm à creditore acceptis filiam dotauit. Pudentilla locuples femina trecentis millibus dotis fuit contenta: & maritum habet, & multis sæpe & ingentibus dotibus spretis, inani nomine tantulæ dotis contentum: cæterùm præter vxorem suam nihil computantem: omnem supellectilem cunctásque diuitias in concordia coniugij & mutuo amore ponentem. Quanquam qui omnium vel exiguè rerum peritus culpare auderet, si mulier vidua, & mediocri forma, at non ætate mediocri, nubere volens, longa dote, & molli conditione inuitasset iuuenem, neque corpore, neque animo, neque fortuna pœnitendum? Virgo formosa, etsi sit oppidò pauper, tamen abundè dotata est. Affert quippe ad maritum nouam animi indolem, pulchritudinis gratiam, floris rudimentum. Ipsa virginitatis commendatio, iure meritoque omnibus maritis acceptissima est. Nam quodcunque aliud in dotem acceperis, potes, cùm libuit, ne sis beneficio obstrictus, omne, vt acceperas, retribuere: pecuniam renumerare, mancipia restituere, domo demigrare, prædiis cedere. Sola virginitas, cùm semel accepta est, reddi nequitur: sola apud maritum ex rebus dotalibus remanet. Vidua autem qualis nu-

ptiis venit, talis diuortio digreditur, nihil affert irreposcibile: sed venit iam ab alio præflorata: certè tibi, ad quæ velis, minimè docilis: non minus suspectans nouam domum, quàm ipsa iam ob vnum diuortium suspectanda: siue illa morte amisit maritum, vt scæui ominis mulier, & infausti coniugij, minimè appetenda: seu repudio digressa est, vtramuis habeat culpam mulier, quæ aut tam intolerabilis fuit vt repudiaretur, aut tam insolens vt repudiaret. Ob hæc & alia, viduæ dote aucta procos sollicitant. Quod Pudentilla quoque in alio marito fecisset, si philosophum spernenrem dotis non reperisset. Age verò, si auaritiæ causa mulierem concupissem, quid mihi vtilius ad possidendam domum eius fuit, quàm simultatem inter matrem & filios serere? alienare ab eius animo liberorum caritatem, quo liberius & artius desolatam mulierem solus possiderem? Fuitne hoc prædonis, quod esse vos fingitis? Ego verò quietis & concordiæ & pietatis autor, conciliator, fauissor, non modò noua odia non serui, sed vetera quoque funditus extirpaui. Suasi vxori meæ, cuius, vt isti aiunt, iam vniuersas opeis transuoraram: suasi inquam, ac denique persuasi, vt filiis pecuniam suam reposcentibus, de quâ suprà dixeram, vt eam pecuniam sine mora redderet in prædiis vili æstimatis, & quanto ipsi volebant: Præterea ex re familiari sua fructuosissimos agros, & grandem domum, opulen-

tè ornatam, magnámque vim tritici & ordei, & vini & olei, cæterorúmque fructuum: seruos quoque haud minus quadringentos: pecora amplius neque pauca, neque abiecti pretij donaret: vt eos & ex ea quam tribuisset parte securos haberet, & ad cætera hereditatis bona spe inuitaret. Hæc ego ab inuita Pudentilla, (patietur enim me, vti res fuit, ita dicere), ægrè exauditus, ingentibus precibus inuitæ & iratæ extorsi; matrem filiis reconciliaui, priuignos meos, primo hoc vitricus beneficio, grandi pecunia auxi. Cognitum hoc est tota ciuitate. Ruffinum omnes execrati, me laudibus tulêre. Venerat ad nos, priusquam istam donationem mater perficeret, cum dissimili isto fratre suo Pontianus, ante pedes nostros aduolutus, veniam & obliuionem præteritorum omnium postulat; flens & manus nostras osculabundus, ac dicens pœnitere, quòd Rufino & similibus auscultarit. Petit postea suppliciter, vti se Lolliano quoque Auito C. V. purgem, cui haud pridem tyrocinio professionis suæ fuerat à me commendatus. quippe compererat, ante paucos dies omnia me, vt acta erant, ad eum perscripsisse. Id quoque à me impetrat. Itaque acceptis literis Carthaginem pergit: vbi iam propè exacto Consulatus sui munere, Lollianus Auitus te Maxime, opperiebatur. His epistolis meis lectis, pro sua eximia humanitate gratulatus Pontiano, quòd citò errorem suum correxisset, rescripsit mihi per eum, quas

litteras,

litteras, Dij boni! qua doctrina! quo lepôre! qua verborum amœnitate ſimul & iucunditate! prorſus vt vir bonus dicendi peritus. Scio te, Maxime, libenter eius litteras auditurum: & quidem ſi perlegam: mea voce pronuntiabo. Cedò tu Auiti epiſtolas: vt quæ ſemper ornamento mihi fuerunt, ſint nunc etiam ſaluti. At tu, licebit aquam ſinas fluere. Namque optimi viri literas ter & quater adeo quantouis temporis diſpendio lectitarem. LOLLIANI AVITI LITERÆ. Non ſum neſcius, debuiſſe me poſt iſtas Auiti literas perorare. Quem enim laudatorem locupletiorem, quem teſtem vitæ meæ ſanctiorem producam, quem denique aduocatum facundiorem? Multos in vita mea Romani nominis diſertos viros ſedulò cognoui; ſed ſum æquè neminem admiratus, Nemo eſt hodie, quantum mea opinio fert, alicuius in eloquentia laudis ac ſpei, quin Auitus eſſe longè malit, ſi cum eo ſe remota inuidia, velit conferre. Quippe omnes fandi virtutes panè diuerſæ in illo viro congruunt. Quam cunque orationem ſtruxerit Auitus, ita illa erit vndique ſui perfecte abſoluta, vt in illa neque Cato grauitatem requirat, neque Lælius lenitatem, neque Gracchus impetum, nec Cæſar calorem, nec Hortenſius diſtributionem, nec Caluus argutias, nec parſimoniam Salluſtius, nec opulentiam Cicero: prorſus in qua, ne omneis perſequar, ſi Auitum audias, neque additum quidquam velis,

neque detractum, neque autem aliquid commutatum. Video, Maxime, quàm benignè audias, quæ in amico tuo Auito recognoscis. Tua me comitas, vt vel pauca dicerem de eo, inuitauit. At non vsque adeo tuæ beniuolentiæ indulgebo, vt mihi permittam iam propemodum fesso, in causa prorsus ad finem inclinata, de egregiis virtutibus eius nunc demum incipere: quin potius eas integris viribus, & tempori libero seruem. Nunc enim mihi, (quod ægrè fero) à commemoratione tanti viri, ad pesteis istas oratio reuoluenda est. Audésne te ergo Æmiliane cum Auito conferre? Quemne ille bonum virum ait, cuius Auitus disputationem tam plenè suis litteris collaudat, eum tu Magiæ, maleficij, criminis insectabere? An inuasisse me domum Pudentillæ, & compilare bona eius, tu magis dolere debes, quàm doluisset Pontianus, qui mihi ob paucorum dierum, vestro scilicet instinctu, ortas simultates, etiam absenti, apud Auitum satisfecit? qui mihi apud tantum virum gratias egit? Puta me acta apud Auitum, non litteras ipsius legisse: quid posses, vel quisquis in isto negotio accusare? Pontianus ipse, quod à matre donatum acceperat, meo muneri acceptum ferebat: Pontianus me vitricum sibi contigisse intimis affectionibus lætabatur. Quòd vtinam incolumis Carthagine reuertisset: vel, quoniam sic ei fuerat Fato decretum, vtinam tu Rufine supremum eius iudi-

cium non impediſſes : quas mihi aut coram, aut denique in teſtamento gratias egiſſet! Litteras tamen quas ad me Carthagine, vel iam adueniens ex itinere præmiſit, quas adhuc validus, quas iam æger, plenas honoris, plenas amoris, quæſo Maxime pauliſper recitari ſinas, vt ſciat frater eius, accuſator meus, quàm in omnibus Mineruæ curriculum cum fratre optimæ memoriæ viro currat. PONTIANI LITERÆ. * * * * Audiſtíne vocabula, quæ mihi Pontianus frater tuus tribuerat? me *parentem* ſuum, me *dominum*, me *magiſtrum*, cùm ſæpe aliàs, tum in extremo tempore vitæ vocans? Poſſem tuas quoque pares epiſtolas promere, ſi vel exiguam moram tanti putarem: potius teſtamentum illud recens tui fratris, quamquam imperfectum, tamen proferri cuperem, in quo mei officioſiſſimè & honeſtiſſimè meminit. Quod tamen teſtamentum Rufinus neque comperari, neque perfici paſſus eſt, pudore perditæ hereditatis: quam paucorum menſium, quibus ſocer Pontiani fuit, magno quidem pretio noctium computarat. Præterea neſcio quos Chaldęos conſuluerat, quo lucro filiam collocaret. Qui, vt audio, vtinam illud non verè reſpondiſſent, primum eius maritum in paucis menſibus moriturum. Cætera enim de hæreditate, vt aſſolent, ad conſulentis votum confinxerunt. Verùm, vt Dij voluêre, quaſi cæca beſtia, incaſſum hiauit. Pontianus enim filiam Rufini ma-

lè compertam, non modò hæredem non reliquit, sed ne honesto quidem legato impertiuit: quippe qui ei ad ignominiam lintea adscribi ducentorum ferè denariorum iussit: vt intelligeretur iratus potius externasse eam, quàm oblitus præterisse. Scripsit autem hæredes tã hoc testamento quàm priore, quod lectum est, matrem cum fratre. cui, vt vides, admodum puero, eandem illam filiæ suæ machinam Rufinus admouet: ac mulierem alioqui multò natu maiorem, nuperrimè vxorem fratris, misero puero obiicit, & obsternit. At ille puellę meretricijs blandimentis, lenonijs patris illectamentis captus & possessus, exinde vt frater eius animam edidit, relicta matre, ad patruum commigrauit, quo facilius remotis nobis cœpta perficerentur. Fauet enim Rufino Æmilianus, & prouentum cupit. Ehem! rectè vos admonetis, etiam suam spem bonus patruus temperat in isto, ac fouet: qui sciat intestati pueri legitimum magis quàm iustum hæredem futurum. Nollem hercule hoc à me profectum. Non fuit meæ moderationis, tacitas omnium suspiciones palàm abrumpere. malè vos qui suggessistis. Planè quidem si verum velis, multi mirantur Æmiliane tam repentinam circa puerum istum pietatem tuam, postquam frater eius Pontianus est mortuus: cùm antea tam ignotus illi fueris, vt sæpe ne in occursu quidem filium fratris de facie agnosceres. At nunc adeò patientem te ei præbes, itáque eum in-

dulgentia corrumpis, adeò ei nulla re aduersaris: vt per hæc suspicionibus fidem facias. Inuestem à nobis accepisti: vesticipem illico reddidisti. cùm à nobis regeretur, ad magistros ibat: at ab iis nunc magna fugela in ganeum fugit: amicos serios aspernatur: cum adolescentulis postremissimis inter scorta & pocula puer hoc æui in conuiuio agitat. Ipse domi tuæ rector, ipse familiæ dominus, ipse magister in conuiuio. in ludo quoque gladiatorio frequens visitur, nomina gladiatorum & pugnas & vulnera, planè quidem vt puer honestus ab ipso lanista docetur. loquitur numquam nisi Punicè, & si quid adhuc à matre Græcissat. Latinè enim neque vult, neque potest. Audisti Maxime paulò antè, pro nefas! priuignum meum, fratrem Pontiani, diserti iuuenis, vix singulas syllabas fringultientem, cùm ab eo quæreres, donasset ne illis mater, quæ ego dicebam me adiuuante donata. Testor igitur te, Claudi Maxime, vósque qui in consilio estis, vósque etiam qui tribunal mecum adsistitis, hæc damna & dedecora morum eius patruo huic, & candidato illi socero adsignanda: méque posthac boni consulturum, quòd talis priuignus curæ meæ iugum ceruice excusserit: neque postea pro eo matri eius supplicaturum. Nam, quod pænissimè oblitus sum, nuperrimè cùm testamentum Pudentilla post mortem Pontiani filij sui, in mala valetudine scripserit; diu sum aduersus illam reni-

ſus, ne hunc ob tot inſigneis contumelias, ob tot iniurias exheredaret. elogium grauiſſimum iam totum medius fidius perſcriptum, vt aboleret, impenſis precibus oraui. Poſtremò ni impetrarem, diuerſurum me ab ea comminatus ſum. mihi hanc veniam tribueret: malum filium beneficio vinceret; me inuidia omni liberaret. Nec prius deſtiti, quàm ita fecit. Doleo me huncce ſcrupulum Æmiliano dempſiſſe: tam inopinatam ſemitam indicaſſe. Specta quæſo, Maxime, vt hiſce auditis ſubitò obſtupuerit, vt oculos ad terras demiſerit. enim longè ſecius ratus fuerat, nec immeritò, mulierem filij contumeliis infectam, meis officiis deuinctam ſciebat, De me quoque fuit quod timeret. Quis enim, vel æquè vt ego ſpernens hereditatis, tamen vindicari de tam inofficioſo priuigno recuſaſſet? Hæc præcipuè ſollicitudo eos ad accuſationem mei ſtimulauit. hereditatem omnem mihi relictam falſò ex ſua auaritia coniectauere. Soluo vos in præteritum iſto metu. Namque animum meum neque hereditatis, neque vltionis occaſio potuit loco dimouere. Pugnaui cum irata matre, pro priuigno malo vitricus, veluti pater pro optimo filio aduerſus nouercam. nec ſatis fuit, ni bonæ vxoris prolixam liberalitatem circa me nimio plus æquo coërcerem. Cedò tu teſtamentum, iam inimico filio à matre factum: me, quem iſti prædonem dicunt, verba ſingula cum precibus præeun-

te. Rumpi tabulas istas iube Maxime: inuenies filium heredem: mihi verò tenue nescio quid, honòris gratia legatum; ne, si quid ei humanitùs attigisset, nomen maritus in vxoris tabulis non haberem. Cape istud matris tuæ testamentum, verè hoc quidem inofficiosum. Quid ni? in quo obsequentissimum maritum exheredauit, inimicissimum filium scripsit heredem: immò enimuerò non filium, sed Æmiliani spes, & Rufini nuptias; sed temulentum illud collegium parasitos tuos. Accipe inquam filiorum optime, & positis paulisper epistolis amatoriis matris, lege potius testamentum. si quid quasi insana scripsit, hîc reperies, & quidem mox à principio: SICINIVS PVDENS FILIVS MEVS MIHI HÆRES ESTO. Fateor: qui hoc legerit, insanam putabit. Hiccine filius hæres, qui te in ipso fratris sui funere, aduocata perditissimorum iuuenum manu, voluit excludere è domo, quam ipsa donaueras? qui te sibi à fratre cohæredem relictam, grauiter & acerbè tulit? qui confestim te cum tuo luctu & mærore deseruit, & ad Rufinum & Æmilianum de sinu tuo aufugit? Qui tibi plurimas postea contumelias dixit coràm, & adiuuante patruo, fecit? Qui nomen tuum pro tribunalibus ventilauit? qui pudorem tuum tuismet literis conatus est publicè dedecorare? qui maritum tuum, quem elegeras, quem, vt ipse obiiciebat, efflictim amabas, capitis accusauit? Aperi quæso bone

puer, aperi testamentum: facilius insaniam matris sic probabis. Quid abnuis? quid recusas, postquam solicitudinem de hæreditate materna repulisti? At ego hasce tabulas, Maxime, hic ibidem pro pedibus tuis adiicio: testorque me deinceps incuriosius habiturum, quid Pudentilla testamento suo scribat. Ipse iam, vt libet, matrem suam de cætero exoret. mihi, vt vltrà pro eo deprecer, locum non reliquit. Ipse iam, vt sui potens, ac qui acerbissimas literas matri dictet, iram eius deliniat: qui potuit perorare, poterit exorare. Mihi iamdudum satis est, si non modò crimina obiecta plenissimè dilui, verùm etiam radicem huius iudicij, id est hæreditatis quæsitæ inuidiam, funditus sustuli. Illud etiam, ne quid omnium prętercam, priusquam peroro, falsò obiectum reuincam. Dixistis, me Magia de pecunia mulieris pulcherrimum prædium meo nomine emisse. Dico exiguum hærediolum sexaginta millibus nummûm, id quoque non me, sed Pudentillam suo nomine emisse: Pudentillæ nomen in tabulis esse: Pudentillę nomine pro eo agello tributum dependi. Præsens est quæstor publicus, cui depensum est, Coruinus Celer, vir ornatus. adest etiam tutor, auctor mulieris, vir grauissimus & sanctissimus, omni cum honore mihi nominandus, Cassius Longinus. Quęre Maxime, cuius emptionis auctor fuerit: quantulo pretio mulier locuples agellum suum præstinarit. TESTIMONIVM CASSII LONGINI TVTORIS.

TORIS, ET CORVINI CLEMENTIS, QVOD RECITATVM EST * * * Eſtne ita vt dixi? vſpiam in hac emptione nomen meum adſcriptum eſt? Nũ ipſum heredioli pretium inuidioſum eſt? Num vel hoc ſaltem in me collatum? Quid etiam eſt Æmiliane, quod non te iudice refutauerim? quod pretium Magiæ reperiſti? cur ego Pudentillæ animum veneficiis flecterem? quod ex ea commodum caperem? vti dotem mihi modicam potius quàm amplam diceret? O præclara carmina! an vt eam dotem filiis ſuis magis reſtipularetur, quàm penes me ſineret? Quid addi ad hanc Magiam poteſt? an vti rem familiarem ſuam meo adhortatu pleramq; filiis condonaſſet, quæ nihil illis ante me maritum fuerat largita, mihi quidquam impartiret? O graue veneficiũ dicam, an ingratum beneficium? an vt teſtamento, quod irato filio ſcribebat, filium potius, cui offenſa erat, quàm me, cui deuincta, heredem relinqueret? Hoc quidem multis carminibus difficilè impetraui. Putate vos cauſam non apud Claudium Maximũ agere, virum æquum, & Iuſtitiæ pertinacem: ſed alium aliquem prauum & ſæuum Iudicem ſubſtituite, accuſationum fautorem, cupidum condemnandi: date ei quod ſequatur: miniſtrate vel tantulam veriſimilem occaſionem ſecundum vos pronuntiandi. Saltem fingite aliquid, reminiſcimini quod reſponderetis, qui vos ita rogarit. Et quoniam omnem conatum neceſſe eſt quæpiam cauſa præ-

cedat: respondete, qui Apuleium dicitis animum Pudentillæ Magicis illectamentis adortum, quid ex ea petierit? cur fecerit? Formã eius voluerat? negatis. Diuitias saltem concupierat? negant tabulæ dotis, negant tabulæ donationis, negant tabulæ testamẽti. in quibus non modò non cupidè appetisse, verùm etiam durè repulisse liberalitatem suę vxoris ostenditur. Quæ igitur alia causa est? Quid obmutuistis? quid tacetis? Vbi illud libelli vestri atrox principiũ, nomine priuigni mei formatum? *Hunc ego, domine Maxime, reum apud te facere institui.* Quin igitur addis, reum magistrum, reum vitricum, reum deprecatorem? Sed quid deinde? *plurimorum maleficiorum, & manifestissimorum.* Cedò vnum de plurimis: cedò dubium, vel saltem obscurum de manifestissimis. Cæterùm ad hæc quæ obiecistis innumera, binis verbis respondeam. *Dentes splendidas*: Ignosce mundiciis. *Specula inspicis*: Debet philosophus. *Versus facis*: licet fieri. *Pisces exploras*: Aristoteles docet. *Lignum consecras*; Plato suadet. *Vxorem ducis*: Leges iubent. *Prior natu ea est*: Solet fieri. *Lucrum sectatus es dotis*: Dotale accipe, donationem recordare, testamentum lege. Quæ si omnia affatim retudi, si calumnias omnes refutaui: si in omnibus non modò criminibus, verumetiam maledictis, proculà culpâ Philosophiam tuitus sum, si Philosophiæ honorem, qui mihi salute mea antiquior est, nusquam minui: immò contrà

vbique, ſi cum ſeptem pennis eum tenui: ſi hæc vdico ita ſunt , poſſum ſecurius tuam exiſtimationem reuereri, quàm poteſtatem vereri: quod minùs graue & verendum mihi arbitror à proconſulibus damnari, quàm ſi à tam bono tamq; emendato viro improber. Dixi.

IOANNIS PRICÆI
IN
APOLOGIAM
NOTÆ

LECTORI.

NE quid de me sequius opineris, quod id operis denuò illustrandum suscepi, cui dudùm Scipio Gentilis tam vtiliter sudauit, scias cum primis velim, me has Notas profligasse, priusquàm de doctissimi hominis Commentario inaudirem. Tandem (vt voluenti Libros fit) eum incidi: iudicansque ex mole voluminis diligentiam præceptam omnem, statui quæ collegeram ego pro otiosis seponere, prorsùs à propatulo & celebri in æternum ablegare. At dum altiùs repeto consilium, subijt cogitatio ea, nimiâ seueritate in propria etiam peccari posse, & hæc mea superessent necnè etsi referret minimùm, fore iniquum tamen damnare ea nec dùm causâ inspectâ: certè non integrum πρὸς χάριν premere forsan olim in lucem eruptura, interpolata autem, & pro libitu edentis faciem habitura. Fretus hoc sensu cœpi ea ad Gentilem expendere, ratus haud multa deprehensurum me indicta ei, multò pauciora secùs quàm pro vero exposita. Neque animi falsus fui, nam perlecto Commentario eius, plurima solertissimo viro obseruata è Notis expunxi; alia pro caligine textus à me creperè &

vacillanter enarrata, maiore illustraui luce, explicaui fiduciâ. Facto ad hanc faciem examine reuisi schedas meas, excerpturus quibus illi mecum non idem sensus fuit, & quæ rem hinc inde illustrantia effugêre industriam eius. Ex his fasciculus iste Obseruationum creuit, quem commendatum non imus ab acumine, non à Manuscriptorum copiâ, (quæ vt omnium Apuleij operûm, ita huius vel maximè Libri infrequentia sunt) sed ab elegantiâ quorundam fragmentorum antiquariæ rei, depromptorum ex celebribus Thesauris excellentissimi Arundeliæ Comitis, viri cuius erga Latium veterémque Græciam talia beneficia extant, quæ nulla delebit ætas, nulla vnquam obliuio capesset. At verò angustior hic locus est quàm vt eiuscemodi Argumentum capiat, & si maximè capax esset, næ ego nimis quàm ineptus qui tanti Herois Genium meo stilo adumbrem. Redeo ad Nugas istas, quas, qui percurris eas, tanti æstimare velim, quanti merebuntur æstimari, nec minoris, nec pluris. Rectè & sapienter è Nostratibus Eques præstantissimus quidam, in operis serij illius de Historiâ mundi Præfatione: (summo literarum damno, addo Prouincialium dedecore, intra vernaculi sermonis claustra etiamnùm compressi:) Quàm possumus humilibus & ancillaribus blandimentis Lectorum gratiam aucupemur, si nugatoriè scribimus, Nugones audiemus. certè nil grauius dici potuit, aut ex vsu magis. Escas itaque ac delinimenta verborum ego missa facio: neque nescio tamen permulta heic esse quæ Patrono indigent. Si verò

quidpiam occurrat pridem alijs obseruatum, (quod vtiq; raro euenturum spondere audeo:) strenuè censuram deprecor quæ me ineptiæ damnet, nam quùm vltimam hæc manum reciperent, à meâ procul eram Bibliothecâ positus, & ex tot qui feruntur circùm Interpretibus, vno & altero misso, nullus præstò erat. Aliorum autem cuiusce generis Scriptorum segetem vberem & prolixam, suppeditauit eximia atque infatigata beneuolentia Ioannis Bourdelotij, *qui me hominem extraneum incognitúmque, non alloquio tantùm & consuetudine suâ (suauissimâ quidem & vtilissimâ eâ) non dedignatus est, sed & quidquid librarij sepellectilis cusi vel manuscripti habet, affectu verè fraterno communicauit mecum. Certè prospicuè minùs in se consulent Philologi ad hanc vrbem ventitantes, qui scientiæ candorisque hominem tam non vulgaris inuisitatum siuerint. Longiùs progredior paulò, sed nec hæc tacenda erant; gratam argutiam optauerim, quàm ingratum silentium. Finiam, si addiderim vnum hoc de Casaubono; scisse me probè vel quùm primùm hanc prouinciam susciperem, functum eâdem fuisse illum, idque ex professo. At non visus est aliorum curas præcludere voluisse; euincunt Notæ eius breues, subsiciuæ horę cuiuspiam exercitamentum, potiùs quàm opus iustum & accuratum. Hoc innuendum duxi, ne importunè audax videar, aut in tanti Censoris eruditionem ac pudorem peccare, dum quid addo doctissimis Notis eius, at parcioribus.*

NOTAE
IN APOLOGIAM.

MAXIME *Claudi, quique in Consilio estis.*] Infrà. Pag. 1.
Vt medius fidius verear Maxime, quique in Consilio estis. Iterum. *Testor igitur te Claudi Maxime, vosque qui in Consilio estis.* Et ita ferè Cicero, cum Iudice quæstionis compellans Adsessores: nominatim in Pro Quinctio. De huiusmodi *Consiliariis* παρακαθημένοις multi multa. Adi vel Tit. Cod. *Assess. & domest. Cancell.*

Senem notissimæ temeritatis.] sic in Pacati Panægyr. *Notissima pietatis mater.* Suetonij Vespasiano, *Vir notæ impudicitiæ.* Valerio libro 7. cap. 8. *Vir notæ insaniæ.* Nostro Milesi. x. *Medicus notæ perfidiæ.*

Accusationem mei prius apud te captam quam apud se cogitatam.] En hominis vecordiam, quam iustissimè perstringit Noster. Sanè nec ipsum dicere, nedum accusare ἐκ τοῦ παραχρῆμα cordatioribus tutum visum. non immeritò itaque apud Ciceronem admiratur Antonius hominem in primis disertum atque eruditum Philippum, quòd ita *soleret ad dicendum surgere, vt quod primum verbum habiturus esset, nesciret, diceretque quum brachium concalefecisset, tum se solere pugnare.* (2 de Orat.) nec absimilem Ammianus fiduciam vellicat in Patronis quibusdam, *qui suscepti nomen & vim negotij, sub ore disceptatoris, inter ipsos conflictuum articulos instruebantur.* Ita eius verba sonant Histor. lib. 30.

Penuria criminum, ſolis conuitiis impleturum.] Æſchines περὶ παραπρεσβείας Οὗτος οὐδὲν ἀληθὲς εἶπεν, ἀλλὰ ψεύδεται, καὶ κατηγορῶν οὐδὲ ἀληθὲς ἔχων, περιπατεύεται. Ammianus vbi ſuprà. *Quum autem ad inopiam venerint muniendarum allegationum, ad effrenatam deflectunt conuitiandi licentiam.* Et ſtatim. *Ferociam maledicendi tunc effutiunt, quum commiſſarum ſibi cauſſarum infirmitatem rationibus validis non poſſunt conuelare,* (malim *conuallare*, vt ſuprà *munire*) Eleganter Optatus. *Liuore interueniente facile eſt iratis iactare, ſed ſemper dum intenditur crimen, neceſſaria probatio eſt.*

Contra Donat. lib. 6.

Gratulor medius fidius quod mihi copia & facultas te Iudice obtigit, &c. *probandi mei.*] D. Paulus ad Agripp. Reg. Actorum 26. περὶ πάντων ὧν ἐγκαλοῦμαι ἥγημαι &c. ἐμαυτὸν μακάριον, μέλλων ἀπολογεῖσθαι ἐπὶ σοῦ σήμερον.

Purgandæ apud imperitos Philoſophiæ.] Sic infrà. *Suſtineo non modò meam, verùm etiam Philoſophiæ defenſionem.* Et in fine. *In omnibus non modò criminibus, verùm etiam maledictis, procul à culpa Philoſophiam tuitus ſum.* Hauſit hoc artificium Noſter ab Apollonio, cuius defenſio in hoc paſſim incumbit, vt oſtendat obiectum ei crimen Philoſophiam eſſe, perperam imperitæ multitudini pro Magia habitam. Ipſo Apologiæ limine verba ad Domitianum faciens, πρὸς φιλοσοφίας οὐδεμίᾳ δίκῃ διαβεβλῆσθαι δόξεις. Ibid. δείξω αὐτὸν (Αὐτοκράτορα) φιλοσοφίας ἀδικοῦντα. Noſter inquam (quod & infrà prout vſus venerit, ex locorum collatione oſtendemus) indubiè lectam habuit Apollonij defenſionem: eam quæ ſupereſt è Philoſtrato necne, non affirmo. (potuit id ſanè, neque enim Apuleio recentiorem puto:) certè aliquam ab Apollonij æquali quopiam memoriæ traditam, aut (quod procliue credere eſt) à ſeipſo ſcriptam. Philoſtratus. Καὶ λόγος μὲν αὐτῷ ξυνεγέγραπτο, ὡς πρὸς ὕδωρ ἐς τὴν ἀπολογίαν ἀφήσοντι.

Iſtæ calumniæ, vt prima ſpecie graues, ita ad difficultatem defenſionis repentinæ fuere.] Sic etiam infrà verbis diſertiſſimis. *Omnis iſta accuſatio temeraria & repentina fuit.* Quem

locum si contendisset Scipio cum præsenti, eum quiduis potiùs prompturum fuisse puto quàm quæ in medium tulit.

Patroni eius.] Casaub. *Eorum.* Graniorum nempe. Ego vulgatos Codices sequendos puto. τὸ *eius* commodè non rettuleris quàm ad Æmilianum. Pag. 2.

Obiectamenta iurgio prolata.] Infrà. *Hem tibi ista accusatio iurgiis inita.*

Vltrò eos ad accusandum crebris flagitationibus prouocaui.] Infrà. *Quòd quanquam dissimulare potui, tamen vt omnia, ita hoc quoque vltrò prouoco.* Seneca tamen. *Nulla integritas tantùm sibi, etiam explorata confidat, vt caussam velit dicere.* Et Saluianus. *Nemini facilis sua caussa sit, nemo difficiliùs euadit quàm qui se euasurum esse præsumpserit.* At Noster exprimere voluit fiduciam Oratoriam. Infrà. *Reputate vobiscum quanta fiducia innocentiæ meæ, quantóque despectu vestri agam.* Callidè vbique. Quintilianus. 5. 9. *Fiduciam Orator præ se ferat, sempérque ita dicat, quasi de caussa optimè sentiat.* Lib. 8. Controuers. 6. Contra Auarit. lib. 4.

Ex verbis rem factam.] id est. *Litem.* Ausonius.

Imperium, litem, Venerem, cur vna notat res?

Varro. *Quibus Res erat in controuersia, vocabatur Lis, ideò in actionibus videmus dici,* QVAM REM SIVE LITEM DICERE OPORTET. Et in XII. REI SIVE LITIS TREIS ARBITROS DATO. Ἀκριβολογία Ciceroni derisa in Pro Muræna. *Iam illud* (inquit) *mihi mirum videri solet, tot homines, tam ingeniosos, post tot annos, etiamnunc statuere non potuisse, vtrum diem tertium an perendinum: Iudicem an Arbitrum: Rem an Litem dicere oporteret.* Et à *Re* (eodem teste) vocabantur *Rei* non solum criminis qui arguebantur, generatim autem omnes de rebus quorum disceptabatur. Gallus apud Festum. *Reus est qui cum alio Litem contestatam habet, siue is egit, siue cum eo actum est.* De L.L.L. 6. 2. de Orat.

Quærere occæpit ex diffidentia latibulum aliquod temeritati.] Synesius in Epistolis, Ἐμοῦ κατηγοροῦσί τινες εἶναι ἀφα-

νεις, οἱ προκαταγνωκότες ἑαυτῶν, ἀξιοῦσι λανθάνειν.

Quem paulò priùs occiſum à me clamitaret.] Miles 1. *Quem nocte ebrius occiſum à me calumniabaris.*

Tanti criminis deſcriptionem.] An *inſcriptionem* legendum, vel *ſubſcriptionem?* horum vtrumque accuſantis eſt, *deſcribere* tantùm dicentis vel orantis. Iſidor. de different: malim *ſubſcriptionem*. Infrà. *Et quantò tandem grauius habetur quod in iudicio ſubſcribitur, quàm quod in Epiſtola ſcribitur?* Doctiſſimus & amiciſſimus Ioannes Bourdelotius (ſæpius inter quiſquilias has aduocandus mihi) cenſet acquieſcendum vulgata lectione. Criminis *deſcriptionem*, vt alibi, *ſcenam*, *apparatum.*

Ne omninò deſiſtere videretur.] V. Briſſon. verb. *Deſtitiſſe.* Lib. 4. *de verb. ſignif.*

Eam ſolam &c.] τὸ *Eam* παρέλκει. Scæuola L. *libertis* §. vlt. D. *de aliment. & cib. leg. Quos libertos meos vbi corpus meum poſitum fuerit, ibi eos morari iubeo.* Plura de Helleniſmo iſto Caſaubonus.

Dat libellum.] Miles. 6. *Libellum porrigit.* Iuuenalis Sat. 6.---- *Formantque libellos.*

Vbi vt cominus ageret percellis, &c. *eminus calumniis velitatur.*] Miles. 5. *Videſne quantum tibi periculum velitatur fortuna eminus? ac niſi longè firmiter præcaues mox cominus congredietur.* Et 8. *Vt diſcernere prorſus nequiremus quam potiſſimum caueremus cladem, cominus canum, an eminus lapidum.*

Calumniis velitatur.] Vt Mileſia 8. *Velitari iocis.* Afranius, *Verba iactare & velitari labiis.* Feſtus. *Velitatio, vltrò citroque probrorum obiectio.* Idem. *Aduelitatio, iactatio verborum.*

Pag. 3. *Cuius qui fuerat profeſſor & machinator, idem fieri author timeret.*] Nemini ſuſpectus locus, quem fidenter tamen mendoſum dico. Scribo. *Cuius qui fuerat auctor & machinator, idem fieri profeſſor timeret.* ſuprà. *Ac ne id quidem de profeſſo audet.* Certiſſima emendatio noſtra.

Si quidpiam veri in me exploraſſet.] h. e. ſi inueniſſet

quod verè poſſet obiectare mihi. Sed Græciſſat Apuleius. Æſchines iam citato loco. οὐδὲν ἀληθὲς κατηγορεῖν ἔχων, περατεύεται.

Nunquam tam cunctanter hominem extraneum tot tantorumque criminum poſtulaſſet.] Exteri enim (vt in Aſino Lucianus) πράγματα ἐν καταφρόνητα. Miles. 2. *Tibi fortunæ ſplendor inſidias, contemptum etiam peregrinatio poterit afferre.* Et 3. *Habetis reum tot cædibus impiatum: reum peregrinum: conſtanter itaque in hominem alienum ferte ſententias.*

Verum videri.] id eſt. *Eſſe.* Miles. 9. *Die ſequenti molæ quæ maxima videbatur, matutinus adſtituor.* Sexta. *Impares nuptiæ, & præterea in villa* &c. *factæ, legitimæ non poſſunt videri.* Probus in Notis. I. E. C. V. *Iuſta eius cauſſa videtur.* ſic & Græci νομίζειν καὶ δοκεῖν vſurpabant οὐ πάντως ἐπ' ἀμφιβόλου, ἀλλὰ πολλάκις καὶ ἐπὶ τοῦ ἀληθεύειν. notat Vlpian. ad Olynth. 1. quod & poſtea in Patrum Conciliis obtinuiſſe docet Sauaro ad Sidon. Vide Briſſonium de Formul. 2. 2.

Pronunciaſſet.] Propriè, nam non alius *pronunciat* quàm qui ius cognoſcendi habet. L. 46. D. *de verb. ſignif.* *Pronunciabat* è Tabella autem. Vide Elmenhorſtium ad primum Floridorum. doctiſſ. Deſid. Heraldum ad Tertull. Apologiam.

Adeò vt ægrè Lollius Vrbicus ab eius pernicie temperarit.] id eſt (inquit Gentilis) ægrè manus abſtinuit à tam impudenti conuitiatore. Inſulsè. Notum quid *Pernicies*, duntaxat quàm de Foro res. Tacitus. *Cremutius Cordus poſtulatur nouo, ac tunc primùm audito crimine, quod* &c. *id perniciabile reo viſum.* h. e. *capitale.* Opponitur *Salus.* Infrà Noſter. *Poſſe literas eius ad perniciem, non poſſe ad ſalutem.* Iterùm. *Cedò tu Auiti Epiſtolas, vt quæ ſemper mihi ornamento fuerunt, ſint nunc etiam ſaluti.* *Annal 4.*

Quò ſæpius, eò apertiùs delinquit.] Suetonius de Nerone. *Paulatim inualeſcentibus vitiis iocularia & latebras omiſit, nullaque diſſimulandi cura ad maiora palàm erupit.*

D. Chrysost. Homil. 16. in Act. Οὐδὲν οὕτως αἰσχυντὸν ποιεῖ ὡς πονηρὸν συνειδός. Heliodor. Lib. 8. Λανθάνειν οἰόμενοι ἐρυθριῶσιν, ἁλισκόμενοι δὲ ἀπαναισχυντοῦσιν, ὁ μὲν ἀγνοούμενος ὀκνηρότερος, ὁ δὲ πεφωραμένος θρασύτερος.

Sat. 6. Iuuenalis----*Nihil est audacius illis*
Deprensis, iram atque animos à rimine sumunt.

Pudor veluti vestis, quantò obsoletior est, tantò incuriosiùs habetur.] Senec. de Clement. *Nemo dignitati perditæ parcit.* Prudentius.

Luxuria extinctæ iamdudum prodiga famæ.

Sat 13. Iuuenalis,------*Nam quis*
Peccandi finem posuit sibi, quando recepit
Eiectum semel attrita de fronte pudorem?

Pag. 4. *Proximam crimini.*] Meursius *Proximo crimine*, vt infra. *Proxima humanitate.* Lipsius. *Pro summo crimine*, remotè nimis.

Apolog. *Mercenaria loquacitate.*] vt apud Tertullian. *Mercenaria*
Sermon. de *aduocatio.* Zenon. Veronens. *Mercenaria ac duplex lingua.*
Auarit. In Plautum, *Venditaria*, & Ouid. *Empta.* Symmach. *In*
stich. In *mercedem linguæ ornamenta corrumpere.* Isid. Pelus. διὰ φι-
Amor. λοχρηματίαν καπηλεύειν, χρυσῷ προπίνειν τὴν ψῆφον, καὶ τὸ
Lib. 1. τῆς δικαιοσύνης ζυγὸν λήμματι παρασαλεύειν. Nicetas in An-
epist. 43. dron. χειρογλωττοῦντες, καὶ πρὸς ἀργύριον λαλοῦντες.
Lib 3. epist. 175.

Futiliter blatterata ob mercedem &c.] Locus quà à verbis vitiosus, quà ab interpunctione. Scribe. *Futiliter blatterata ob mercedem & auctoramenta, impudentiæ depensa haberi.* omninò sic legenda hæc, & distinguenda. *Impudentiæ depensa*, vt apud Marc. Capell. *Iurgiis pendere.* Lib. 9.

Indocta rabidum quem videre secula.
Iurgiis caninos blatteratus pendere.

Auctoramenta:] Miles 9. *Auctoramentum sceleris.* P. Syrus
Nullum sine auctoramento est magnum malum.

Rabulis id genus.] Idem Marcian. Lib. 6. *Forensis fabulationis.* Vides indubiè scribend. *rabulationis.* Cicero Oratore. *Declamatorem aliquem de Ludo, aut rabulam de foro.*

Linguæ ſuæ virus.] Cælius Symphoſius. *Effundit mala lingua virus atrum.* Sidon. Apollin. *Loquens venenum.*

Ne quid maculæ &c.] Miles x. *Ignominiæ maculam.* Cicero Verr. 2. *Adoleſcentiæ maculas, ignominiaſque.* Noſter heic infrà. *Omnem criminis maculam.*

Inhoneſtamenti.] Gloſſæ Vindocinens. MS. *Dedecoratus, inhoneſtius.* lege *inhoneſtatus.*

Videar cuipiam, ſi quid ex friuolis prateriero, id agnouiſſe potiùs quàm contempſiſſe.] D. Cyprian. Tractat. contra Demetrian. *Vltra tacere non oportet, ne iam non verecundiæ ſed diffidentiæ eſſe incipiat, quod tacemus: & dum criminationes falſas contemnimus refutare, videamur crimen agnoſcere.*

Prudentis animi.] Amplector iſtam lectionem præ altera, *Pudentis.*

Eſt enim prudentis animi, ac verecundi, &c. vel falſa vituperatione grauari.] Cicero pro Muræna. *Cum graue eſt verè accuſari &c. tum etiam ſi falsò accuſeris, non eſt negligendum.*

Falſa vituperatione grauari.] Lego. *Falſas vituperationes g,* & ſic optimi Authores loquuntur. ſimiliter Græci qui βαρύνεσθαι, μεταβάτως ponunt.

Etiam hi qui ſibi delicti alicuius conſcij ſunt, tamen quum malè audiunt, impendio commoueantur.] Tacit. de Nerone Annal. 15. *Vt faciendis ſceleribus promptus, ita audiendi quæ faceret inſolens.* Saluian. de gubern. &c. Lib. 8. *Omnes admodum ſe laudari volunt, nulli grata reprehenſio eſt: imò (quod peius eſt,) quamlibet malus, quamlibet perditus, mauult mendaciter prædicari, quàm iure reprehendi. Neque enim quiſquam tam malus eſt, vt malus videri velit.* Fabius Lib. 3. cap. 8.

Obiraſcantur.] Florid. 3. *Frequentibus delectari, ceſſantibus obiraſci.*

Quod ſi à cæteris ſilentium eſt, tamen ipſi ſibimet conſcij ſunt, poſſe ſe meritò increpari.] Petronius. *Dij Deæque quàm malè eſt extra legem viuentibus! quicquid meruerunt*

ſemper expectant. D. Chryſoſt. Καθάπερ οἱ διὰ νυκτὸς ἀσελήνου βαδίζοντες τρέμουσι καὶ μηδεὶς ὁ φοβῶν παρῇ, οὕτω καὶ οἱ τὴν ἁμαρτίαν ἐργαζόμενοι, θαρρεῖν οὐκ ἔχουσι καὶ μηδεὶς ὁ ἐλέγχων ᾖ.

Bonus & innoxius quiſque rudes & imperitas aures ad male audiendum habens.] Plutarchus de Catone M. Βλασφημούμενος ὑπ' ἀνθρώπου βεβιωκότος ἀσελγῶς καὶ κακῶς, ἄνισος εἶπεν ἡ πρός σέ μοι μάχη ἐστὶν, καὶ γὰρ ἀκούεις τὰ κακὰ ῥαδίως, καὶ λέγεις εὐχερῶς· ἐμοὶ δὲ καὶ λέγειν ἀηδὲς, καὶ ἀκούειν ἄηθες.

Verr. 5. *Laudis aſſuetudine contumeliæ inſolens.*] Cicero. *Habet quendam aculeum contumelia, quem pati prudentes ac viri* Ἔργ. α'. *boni difficillimè poſſunt.* Heſiodus.

Ὕβρις γάρ τε κακὴ δειλῷ βροτῷ, οὐδὲ μὲν ἐσθλὸς
Ῥηϊδίως φερέμεν δύναται, βαρύθει δὲ ὑπ' αὐτῆς.

Multò tanto.] Vbique multus eſt in hac φράσει Lucius noſter. Exempla in medium ferre otioſæ diligentiæ foret. Varro ipſe de L. L. L. 6. *Quod interuallum multò-tantò propius nobis.* vbi temerè vir eruditiſſimus *tantò* expungendum putat.

Pag. 5. *Quod vtinā tam grauia formæ & facundiæ crimina verè mihi opprobraſſet.*]En Oratoris noſtri aſtutiam, hæc Tannonius ei non vt crimina obiectauit, ſed vt Iudicem circumſpectiorem redderet, ne lactaretur lenocinijs hiſce. aliò Apuleius torquet, nempè vt Aduerſarij derideculò habeantur, quaſi tam pulchra támque laudabilia obijcientes tanquam vitia. Artificium loci iſtius non præterijt Orat. Inſtit. 3. 3. eruditiſſ. Voſſium.

Non difficile ei reſpondiſſem quod Homericus Alexander Hectori.] Et ex eo Diogenes Cynicus apud Laertium, qui deriſus ὅτι παρ' Ἀντιπάτρῳ (fullone) τριβώνιον ἔλαβεν, adduxit hunc ipſum verſiculum in excuſationem ſui. Reſpondiſſes etiam (nec incommodè) quod non nemo apud Liuium. *Eorum quæ obiecta ſunt, partim ea ſunt quibus neſcio an gloriari debeam, partim quæ fateri non erubeſcam.* Aut certè riſu meritò excepiſſes eum vt Muſæ Marſyam,

ob non

ob non dissimiles dotes eleuantem Apollinem.

Pythagoram qui primùm se Philosophum nuncuparit.] Florid.2. *Pythagoras primus Philosophiæ nuncupator & conditor.* Clem. Alexandr. Πυθαγόρας &c. φιλόσοφον ἑαυτὸν πρῶτος ἀνηγόρευσεν. Et Iamblich: Λέγει δὲ Πυθαγόρας πρῶτος φιλόσοφον ἑαυτὸν προσαγορεῦσαι. Adde quæ in Minuc. Octau. & in Epist. Ausonius. At hæc post Ciceronem otiosa sunt, quem vide fusius narrantem ea 5. Tusculanarum.

Eum sui sæculi excellentissima forma fuisse.] Porphyrius. Ἰδὼν τε γὰρ ἰδέαν εἶναι ἐλευθέριον, καὶ μέγαν, χάριν τε πλείστην καὶ κόσμον, ἐπί τε τῆς φωνῆς, καὶ τοῦ ἤθους, καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων ἔχειν. Florid. 2. Noster. *Pulchritudine apprimè insignis* Neque sui tantùm sæculi, sed & Troiani: (de Pythagora loquentes enim cur non μετεμψύχωσιν memoremus?) vide vt à pulchritudine extollit eum adhuc Euphorbum, Apollonius apud Philostrat. Lib. 8. cap. 3. Et in corpore Alces meretricis Gellius 4.11.

Eum quoque Zenonem longè decorissimum fuisse, vt Plato autumat.] In Parmenide. Exin Laertius. Εὐμήκης ἦν καθά φησι Πλάτων &c.

Continuatio literati laboris omnem gratiam corpore deterget] Καλεπὸν περὶ τοὺς λόγους φιλοπονεῖν, καὶ τὸ σῶμα καλὸν διασώζειν. Æneas Sophista Epist. 19.

Colorem obliterat.] De florido pallidum facit. Non minima Satyræ 7. Iuuenalis pars huius argumenti est. Thomas Magister (ex bibliotheca eruditissimi Renati Moræi) ad Aristophan. Νεφελ. ἀχρειοῦντες καὶ αὐχμώδεις εἰσι, (οἱ φιλόσοφοι) ἐπειδὴ μόνης ἀρετῆς φροντίζοντες, οὐ τρυφῆς διώκουσι τὸ ἀπέραντον.

Promissum dixere.] Sic de cæsarie Apollinis 1. Florid: Pag. 6.
Præmissis antiis, & promissis capronis. ita doctissimus Bourdelotius, vulgò *promulsis capt:*

Horrore implexus.] Tertullian: de pænitentia. *Capilli incuria horrorem leoninum præferente.* Petronius. *barbis horrentibus nauta.* Theophil: Simocatt. Histor Maur. 4.4. Συμπλοκῇ τῶν βοστρύχων κατηγλαϊσμένος τὴν πρόσοψιν.

Lib. 1. eleg. 3.

Implexus.] Malè in quibuſdam libris *Impexus* legitur. Tibullus.

Tiſiphonéque implexa feros pro crinibus angues.

De Nupt. &c. lib. 4.

Gloſſæ. *Implexa barba.* δασυπώγων. Sic apud Marcian. Capellam. *Crines tortuoſi & nexiles*, quos infrà eod: loco vocat *implexum capillitium.*

Stuppeo tormento.] Alij Scriptores vocant *ſtupeum vinculum.*

Æneid. 2.

Virgil:------------ *Et ſtupea vincula collo Intendunt*--------

Vetus Epigrammatarius Carmine de Funambulo.

Stupea ſuppoſitis tenduntur vincula lignis.

Lib. x. Declamat. 5.

Lucanus. *Nec piger ignis erat per ſtupea vincula, perque Manantes cera tabulas*-------Ennodius. *Et laſſatæ rudentibus manus, ſtupea rurſus vincula meditentur.* Porrò *tormentum* Apuleio funis eſt, & ita hoc crinium argumento ſumpſere alij. adeo fruſtrà *tomento* legebant

In Semeſtr. Lib. 2 c. 15.

Faber & Caſaubonus. Florus. *In tormentorum vincula Matronæ crines ſuos contulerunt.* Paulinus.

Carm. 14.

Aut implexarum ſtrue tormentoque comarum.

Μισοπώγ.

Iulianus de barba ſua. Υμεῖς δέ φατε κὴ χοινία πλέκειν ἐνθένδε. Plura apud Gentilem vide, & Scalig. in Priapeis. Græci has capilli conuolutiones à ſerpentibus σπείρας vocant, quæ vox me monet opportunè vt Pollucem

Lib. 2. cap. 3.

purgem. Εὐθητῆσαι δὲ ἔλεγον (inquit) τὰς τρίχας, κὴ τὸ ὑπεύπειρον, εἶδος τριχῶν πλέγματος ὥσπερ κὴ σπεῖρα. Turbat τὸ ὑπεύπειρον, vti & ὑπόσπειρον, quod legendum aiunt, cætera autem quæ ſequuntur tota irreptitia ſunt.

Inæqualiter hirtus & globoſus, & congeſtus: prorſus inenodabilis diutina incuria.] Dio. Chryſ. apud Syneſium φαλακρ. ἐγκωμ. Η δὲ (κόμη) ἠμέλητο ἐκ πλείονος, πάνυ γοῦν συνέστραπτο, κὴ συνεπέπλεκτο τὰ πολλὰ αὐτῆς, οἷον τῶν οἴων τὰ περὶ τοῖς σκέλεσιν αἰωρούμενα. Et ſtatim. Ην οὖν ὀφθῆναί τε ἀγρία ἡ κόμη κὴ βαρεῖα, μόλις δὲ διελύετο, κὴ τὰ πολλὰ αὐτῆς ἀπεσπᾶτο κὴ διετείνετο.

Congeſtus.] Miles. 6. *Setas incuria congeſtas & horridas.*

Inenodabilis.] Gloſſ. *Inenodabilis*, δυσχερὴς, ἄλυτος, πλακὲς.

Gloss: Vindocinens: *Enodabile, dissolubile*. Eædem. *Enodabile, quod solui non potest*. aut legend. *inenodabile*, aut *quod solui potest*.

Diutina incuria.] Tertull: vbi supra. *Capilli incuria.* Aldhelmus de laud. virginit. *negligenter squallente capillatura.*

Discriminandi.] Alibi ad *pecten* rettulit, vt Miles: 2. *Vel nunc guttis Arabicis obunctus, & pectinis arguti dente tenui discriminatus*, Claudian. etiam in de nupt. Honor. & Mar.

-------------hæc morsu numerosi dentis eburno,

Multifidum discrimen arat.———

heic autem minùs concinnè *pectinationem* intellegeri, seò referendum enim quod præcessit. *comendi*. neque est vt obijcias *comere* pro *ornare*, cum & infra heic disertius voce ea κτενισμὸν expresserit. *marinum pectinem* (inquit) *comendo capillo quæsitum*. Est ergo hoc loco *Discriminare*, crines *extricare*, neque aliud quam συνώνυμον appositæ vocis *Expediendi*.

Satis vt puto, crinium crimen refutatum est.] Apollon. vbi suprà. Μὴ πλείω διαλεγόμεθα ὑπὲρ τῆς κόμης.

De eloquentia verò mea &c. *neque mirum neque inuidiosum deberet videri.*] Ex illis Plutarchi, Libro de sui laude: ὡς οἰκίαν καὶ χωρίον, οὕτω καὶ δόξαν οἱ πολλοὶ καὶ ἀρετὴν, τοῖς παρ' ἔχα καὶ ῥαδίως ἔχειν δεχόμενοι, οὐ τοῖς τριαμβίοις πόνων πολλῶν καὶ κινδυνῶν φθονοῦσιν.

Ab ineunte æuo &c *vnis studijs literarum.*] Florid. 3 *Ab ineunte æuo bonas artes sedulò colui.*

Adhoc æui.] Infrà. *Nulli Deo ad hoc æui supplicauit.* Symmachus (Apuleianæ dictionis captator mirus) *Quem ad hoc æui nulla actuum culpa fuscauit.*

Cum despectu.] Languet sententia, non displiceat, *certè cum despectu.*

Cum despectu & dispendio bonæ valetudinis eam quæsiissem.] Infrà. *Hereditatem auitam cum despectu salutis suæ quæsiisse.* Sarisburiens. de intestinis loquens Lib. 5. cap 9. *Nec vnquam sine salutis suæ dispendio exterioribus exponuntur.*

Sed nihil ab eloquentia metuant, quam ego si quid promoui,

potiùs ſpero quàm præſto.] Oratoriè. ſic Eloquentiæ parens Verr. 1. *Cum omnis arrogantia odioſa eſt, tum illa ingenij atque eloquentiæ multò moleſtiſſima: quamobrem nil dico de meo ingenio: neque eſt quod poſſum, neque ſi eſſet dicerem.* Confer Quintilianum. Lib. XI. cap. 1.

Si quid promoui] Florid. 1. *Paulò largiùs in arte promouiſſe.*

Potius ſpero quàm præſto.] Cicero Philip. 1. *Nec enim ſperabam id, nec præſtare poteram.* malim e conuerſo. *N. e præſtabam id, nec ſperare p.*

Potius ſpero quam præſto.] Hoc eſt quod ait 4. Floridorum: *Nouem ſe Muſas pari ſtudio colere, maiore autem voluntate quam facultate.* Ibid: ab eadem mente Lib. 1. *Nec quidquam omnium eſt quod poſſit in primordio ſui perfici: ſed in omnibus fermè ante eſt ſpei rudimentum, quàm rei experimentum.*

Innocentiam eloquentiam eſſe.] Maternus apud Authorem Dial: de Oratoribus. *Statum hucuſque ac ſecuritatem, meliùs innocentia tueor, quam eloquentia.* Huius loci eſt & quod infra occurrit, *Vir bonus, dicendi peritus.*

Nihil vnquam cogitaui quod eloqui non auderem.] Cicero de Offic. lib. 3. *Non modo facere, ſed ne cogitare quidem quidquam audebit, quod non audeat prædicare.*

Nullum meum factum vel dictum extet, de quo differere publicè non poſſim.] Sueton: de Auguſto. *Filiam & neptes ita inſtituit, vt vetaret loqui aut agere quidquam niſi propalam, & quod in diurnos Commentarios referretur.*

Pag. 7. *Cum riſu illis ſuccenſentem.*] Ita in Mileſiis quater, vel vno Libro ſexto. *Latiſſimum cachinnum extollens, & quatem ſolent furenter irati. Contortis ſupercilijs ſubridens amarum.* Iterum, *Renidens exitiabile,* & demum. *Riſu maligno ſalutant.* Iſidor. Peluſiot. Lib. 5. Epiſt. 199. ὀλέθριον τι καὶ σκυθρὸς προσμειδίασιν, οἷον εἰώθει ἐπίποτι ὀργῆς ἐμπλησθείη. Ibid. Epiſt. 196. μειδίαμα θυμῷ κεχραμμένον. ſimile illud Silij Italici, *Arridens ſæuum.* Taciti de Tiberio *Renidens falſum.* Mercerum ad Ariſtænetum vide, & Bourdelotium ad Petronium.

Veriſimil. I. 17. *Inuidit.*] Primus ſic legend. monuit Fruterius. τὸ *In*

est ἀφρητικόν. Miles. 5. *Post opimas dapes quidem introcessit, & cantauit inuisus.* Fulgent: Mythol *Vt inuisè vespertinus aduenerat, ita crepusculo etiam incognitus discedebat.* Onomast: vetus *Inuisus.* Ἀθέατος. Sic *imminutum* L. 44. D. *de bon. libert.*

Calpurniane salue properis versibus.] Quos versus miror post tot examina tam confusos esse: imo Parenthesin ipsam quæ præcipuè in oculis Casaubono, etiamnum luxatam, nec inuenisse limites suos. At vir egregius ille, (quod iam alibi monuimus) non nisi leui opera heic defungi voluit; nos accuratiùs inspeximus, itaque nec mirum, nec inuidiosum sit, si quod illum præterijt, à nobis deprehensum est. Sed eccùm versus ipsos, quos cum Parenthesi ita digerendos puto.

Calpurniane salue properis versibus,
Misi vt petisti, mundicinas dentium,
Nitelas oris ex Arabicis frugibus:
Tenuem, candificum, nobilem puluisculum,
Complanatorem tumidulæ gingiuulæ,
Conuerritorem pridianæ reliquiæ:
Ne qua visatur tetra labes sordium,
Restrictis fortè si labellis riseris.

Quæso quid habent versus isti re aut verbo pudendum? quid omninò quod Philosophus suum nolit videri? (nisi forte in eo reprehendendus sum, quod Calpurniano pulusculum ex Arabicis frugibus miserim, quem multò æquius erat spurcissimo Iberorum ritu (vt ait Catullus) ——— sua sibi vrina
Dentem, atque russam pumicare gingiuam.

Doctos restitutioni nostræ non dubito applausuros.

Arabicis frugibu.] Doctiss. Salmasius legit *Rupibus.* accipitque de lapide Arabico, de quo Plinius & Dioscorides. *Ad Solin. pag. 163.*

Ne qua visatur tetra labes sordium.] Arrian. in Epictet. Lib. 4. cap. xi. Ἀμήχανον ἦν ἀπὸ τοῦ τρώγειν μὴ ῥυπαρόν τι προσισχομένου τοῖς ὀδοῦσι, διὰ τοῦτο πλυνόν φησι (ἡ φύσις) τοὺς ὀδόντας.

Sua sibi vrina] Imò aliena, eáque ἐν δεξαμεναῖς πα-

Lib. 3. λειμουμδύη, si Straboni fides.

Dentem atque russam, &c.] Caussam hanc Diodorus affert. Ταύτην ἡγοῦνται θεραπείαν εἶναι τοῦ σώματος.

Russam.] Scalig: ad Varron. de L. L. L. 6.

Pag. 8. *Præsertim os, cuius in propatulo & conspicuo vsus homini creberrimus.*] Infrà. *Est ea pars hominis loco celsa, visu prompta, vsu facunda.* Et Miles. 2. *Pars ista corporis in aperto & conspicuo posita, prima nostris luminibus occurrit.*

Cuipiam osculum ferat.] Vide in Electis Lipsium. 2. 6.

Seu cum quopiam sermocinetur. siue in Auditorio dissertet, siue in Templo preces adleget.] Expressa ex Apollonio, qui hæc eadem de capite. Ἐκεῖ πᾶσαι μὲν αἰσθητηρίων πηγαὶ, πᾶσαι δ' ὀμφαὶ, ὅθεν εὐχαί τε ἀναφαίνονται, καὶ σοφίας ἑρμηνεὺς λόγος. *Apud Philostrat. 8.*

Preces adleget.] Infrà. *Preces in templo Diis adlegasti.* Et in de Deo Socratis. *Cui igitur preces adlegabo?* Zeno Veronens. Serm. de Pudicit. *Per te adlegatæ priusquam fundantur, audiuntur preces.* Glossæ. Ἱκεσίαν προσφέρω. *Adlego.* Πρόσδεσις, *Adlegatio.* *Adlegat.* Παρατίθεται μάρτυρας, δέησις.

E muro dentium.] Sic & in Floridis, *Intra murum dentium*; & in de Platonis Dogmate. *Lingua, & vallum dentium.* Solon apud Censorinum cap. XII.

Παῖς μὲν ἄνηβος ἐὼν ἔτι νήπιος ἕρκος ὀδόντων
φύσας, ἐκβάλλει πρῶτον ἐν ἑπτ' ἔτεσιν.

Etymologus. Ἕρκος, φράγμα τῶν ὀδόντων. Pollux Lib. 6. cap. 26. Ἄπαυστος γλῶττα, ἀνερμάτιστος; μάτην αὐτοῦ τῇ γλώττῃ περίκειται τὸ ἕρκος τῶν ὀδόντων. Ælianus. Ἄδηλά εἰσι τὰ ἀνθρώπινα ἕως αὖ ἑκάστῳ ἡ ψυχὴ εἴσω τοῦ τῶν ὀδόντων ἕρκους ᾖ. & Nicetas in Manuel Comneno. Πρὸ πάντων δὲ τιθέναι τῷ στόματι φυλακὴν, καὶ μὴ ἐᾶν τὴν γλῶτταν προπετῶς ἐκπηδᾶν τοῦ ἕρκεος τῶν ὀδόντων. Traxerunt omnes ab Homero ita sæpius loquente. Gellius Lib. 1. cap. 15. *Petulantiæque verborum vallum esse oppositum dentium, vt loquendi temeritas non cordis tantum custodia atque vigilia cohibeatur, sed & quibusdam quasi excubijs in ore positis sepiatur.* Lactan-

tius de opif. Dei. cap. 10. *Hæc* (lingua) *palati concauo tanquam testudine tegitur, eamque dentium ordine sepiens Deus quasi muro quodam circumuallauit.* Simili tralatione Varro *palpebras oculorum septum* vocauit. Plinius *vallum* L. XI. cap. XXXVII. Papias.

Suo more] Non placet Lipsij coniectura, *suo iure.* Infra heic. *nisi fortè Crassus non in cubiculum reuersus perrexit, sed suo more rectà ad focum.* Turpil. Philopat. *Tuo more vti soles, videre ægrè mihi id pati.*

Cui vlla fandi cura sit, impensius cætero corpore os colendum.] Artemidor. Ὀδόντας δοκεῖν ἔχειν ἐλεφαντίνους ἀγαθὸν φιλολόγοις. Oneirocrit. l. 33.

Cætero corpore.] Romana princeps editio, *Cætero corporis.*

Quod esset animi vestibulum, & orationis ianua:] In de Dogm. Platonis. *Hominis* (lege *homini*) *promptuarium rectæ rationis, & suauissimæ orationis hoc datum est, vt quæ prudentia corde conceperit, ea sensa promat oratio.* D. Ambros. Hexaem: 6 9. *Quid est igitur os hominis nisi quoddam sermonis adytum, fons disputationis, aula verborum, promptuarium voluntatis?*

Orationis ianua.] Baccharius Epist. ad Ianuar. de recip. laps. *Prope fuerat, vt & ego superposita manu ori, & obturato linguæ sibilo, ianuas labiorum meorum concluderem.* Euripid. Hippol. στόματος πύλαι. Anthol. 7 στόματος πρόθυρα. & in Regula Magistri MS. *Oris regia.* citat Rosuueyd. not. ad Paulin:

Cogitationum comitium.] *Comitium* hoc loco est, *exterius atrium*; vt ex Liuio & Asconio docuit eruditissimus Langlæus, cui certe hanc vocis notionem libens accepttam fero. Semestr. 7. 19.

Pro captu meo.] Florid. 2. *Patior & ipse in meis studijs aliquam pro meo captu similitudinem.* Et 3. *Iampridem pro captu suo hominibus notius est, quàm vt* &c.] Corrige in hac loquutione Salustium Catilin. cap. 35. vbi impressi *Pro meo casu.* item Gellium. L. 20. cap. XI. vbi vulg. *ceptus noster.* Aurel. Victor hac forma, *Quantum ingenium est.* Noster in

Milesijs passim. *Pro meo modulo.*

Nihil minùs quàm oris illuuiem libero & liberali viro competere.] Perlege Arriani cap. XI. περὶ καθαριότητος, Dissert. in Epictet. Lib. 4.

Feris & pecudibus os humile, & deorsum ad pedes deiectum: vestigio & pabulo proximum] D. Basilius Hexaemer: Homil. XI. Εγεννήθη τὸ πρόβατον νέμεσθαι, κάτω ἔχει τὴν κεφαλὴν, συννεύουσαν τῇ γαστρὶ ἐνορᾶν, καὶ τοῖς ὑπὸ γαστέρα. Theodoretus περὶ προνοίας Serm. 5. Απόχρη σοι ὦ ἄνθρωπε καὶ τοῦτο μόνον εἰς ὑπεροχὴν τοῦ κτίσαντος, οὐκ εἰς γῆν ἐσκυφέναι τοῖς ἀλόγοις παραπλησίως, οὐδ᾽ εἰς γαστέρα διανεύειν κατὰ τοὺς χοίρους. Noster in de dogm. Platonis. *Lingua & vallum dentium, & ipsius osculi venustas, quod quidem alijs animantibus ad explendam victus necessitatem, inferendasque ventri copias comparatum est.* Minuc. Octau. *Prona, in terramque vergentia, nil nata prospicere nisi pabulum.*

Deorsum ad pedes deiectum.] Florid. 2. *Deorsus ad pedes deiectus ipsos.*

Pag. 9. *Nunquam fermè os suum nisi maledictis & calumnijs aperiat.* Est ferè quod Achill. Tat. Lib. 7. πανταχοῦ τὴν γλῶτταν μεστὴν ὕβρεως ἔχειν.

Lingua mendaciorum & amaritudinum præministra.] Tertullian. de Patient. *Si linguæ amaritudo conuitio siue maledicto eruperit.* Gregor. Turonens. Lib. 8. *Verba amaritudinis.* Macrob. Sat. 1. 7. *Amarulenta dicacitas.*

Fetutinis & olenticetis.] Sic 2. Florid: *Rupina & senticeta.* Vbi malè Steuechius, *spinas & senticeta.* Mirum quantum complaceat sibi in his terminationibus Apuleius noster.

Quæ malum ratio est linguam mundam & lotam, vocem contra spurcam ac tetram possidere?]. Similis est ἀδιανόητος illa

Cap. 14. Tertulliani in de Orat. *Quæ ratio est manibus quidem ablutis, spiritu sordidato orare?*

Viperæ ritu, niueo denticulo atrum venenum inspirare.] Quod eleganter in eodem argumento ἐξ ἐλεφαντίνου κόλεου μαχαίριον ἕλκειν, μάχαιραν dixit Diogenes, ille ὁ Κυνικὸς, apud Laert. Lib. 6.

Vene-

Venenum inspirare.] Virgil. de apibus----*Læsæque venenum*
Morsibus inspirant-----Idem de Alecto,
Vipeream inspirans animam------- Et alibi
Occultum inspires ignem, fallasque veneno.

Æneid. 1.

Rationem prompturum neque inutilem &c.] Florid. 2. *Philosophi ratio & Oratio tempore iugis est, auditu venerabilis, intellectu vtilis.* Ibid. 4. *Vtile carmen prompturus.*

Purgandos sibi dentes innoxio præbet hiatu.] Narrant Phile, Plutarchus, Plinius, Ælianus.

Innoxio hiatu] D. Ambros. Hexaem. L. 5. cap. 3. *Aperire ora, innoxio* &c. *dente suspendere.*

Ore amplo, sed elingui.] Ita disertè Herodotus, Diodorus, Solinus, Ammianus. aliter Cardanus. Crocodilum non *elinguem* esse, lingua breui autem, & affixa prorsus superiori mandibulæ. Hausit à Plinio forsan, qui eum vsu linguæ carere ait, quod nescio quid diuersum ab *elingui* sonat, tametsi alia sentiant Grammatici. Fronto Cornel. *Elinguis habet linguam, caret autem vsu eius: elinguatus amisit.*

De variet. L. 7.
Lib. 8. cap. 25.

Dentibus implectuntur.] Hæret Gentilis in voce *implectuntur*, quasi scilicet *arundinibus* quàm *hirundinibus* (vt is legit) conuenientiore Ex quo deprehendo hunc locum non intellegisse eum: nam neque de his nec illis impræsentiarum res est, sed de *hirudinibus*, vt correxit optimè Casaubonus. de iis autem quid aptius dici potuit quàm *implecti?* neque audiendus qui Romani cod. lectionem *amplectuntur* probat.

Præripia fluminis.] An *Prærupta?* Aldhelmus de Castore,
Hospes præruptis habitans in margine ripis.

Glossæ. *Prærupta.* Ἀπόκρημνα. Ἀπόῤῥωγα. Nolo tricari autem χαφλῶ veram *Prærupia* puto. Tertullian. contra Marcion. Lib. 4. cap 38. *Sciens præceps ituros homines, ipse illos in præruptum impulit* (ita enim in MSS. legi monuit eruditissimus Franc. Iunius) Vox insolentior paullo est? Africana est.

Sine noxæ periculo exsculpit.] Rectiùs *sine noxa*, quàm *sine noxæ periculo*; nam etsi caput illæsum extrahat, periclita-

tur. Signatè ideo, & ex natura rei haud absimili argumento Phædrus (lepidissimus fabularum scriptor) *Periculosam medicinam* dixit. Festiuus Apologus est, itaque operæ duco adscribere.

Os deuoratum fauce quum hæreret lupi,
Magno dolore victus, cœpit singulos
Illicere pretio vt illud extraherent malum.
Tandem persuasa est iureiurando Gruis,
Gulæque credens colli longitudinem,
Periculosam fecit medicinam Lupo;
Pro quo quum facto flagitaret præmium,
Ingrata es inquit, ore quæ nostro caput
Incolume abstuleris, & mercedem postulas.

quæ vltima ex Historia Crocodili apud Philen expressa,

Καὶ τὴν γε κεφαλὴν ἀντὶ μισθοῦ λαμβάνει,
Μηδὲν κακὸν παθοῦσαν ἐκ τοῦ θηρίου.

Durè & rusticè legère.] Quod suprà *Absonè & indoctè pronunciare vocat*. Claudianus *Lacerare*; vt & Lucianus, qui in rem lepidulè. Δημήτριος ὁ Κυνικὸς ἰδὼν ἐν Κορίνθῳ ἀπαίδευτόν τινα βιβλίον κάλλιστον ἀναγινώσκοντα· (τὰς Βάκχας οἶμαι τοῦ Εὐριπίδου.) κατὰ τὸν ἄγγελον δὲ ἦν τὸν διηγούμενον τὰ τοῦ Πενθέως πάθη, καὶ τὸ τῆς Ἀγαυῆς ἔργον, ἁρπάσας διέσπασεν αὐτὸ, εἰπὼν, ἄμεινόν ἐστι τῷ Πενθεῖ ἅπαξ σπαραχθῆναι ὑπ' ἐμοῦ, ἢ ὑπὸ σοῦ πολλάκις. (paria quibus affert Scipio ex Hesychio.) Addam è Gellij Lib. 13. cap. 29. locum, quo eiusmodi fringultiens blattero in conspectum datur. *Accipit* (inquit) *à me librum veterem fidei spectatæ, luculentè scriptum. accipit autem inconstantissimo vultu & mæstissimo. sed quid deinde dicam? non audeo herclè postulare vt id credatur mihi. Pueri in ludo rudes si eum librum accepissent, non ij magis in legendo deridiculi fuissent; ita & sententias intercidebat, & verba corruptè pronuntiabat.* Membrum periodi praua interpunctione laborat, simul tantillo mendo vt abstergere vix operæ sit. Duximus commonstranda autem, ne tam contempsisse ea quàm ignorasse videamur. Scribe & distingue igitur ad hanc faciem, *sed quod deinde dicam non audeo h. p. v. i. c. m.*

Dial. περὶ ἀπαιδ.

Quis vnquam fando audiuit?] Infra. *Quis enim fando audiuit?* Iterum, *multa fando maxime audisti.* Miles. VI. *Fando comperisti.* & in Floridis I. *Fando accepimus.* Gellius Lib. XVII. cap. X. *Hoc nec à Pindaro scriptum, nec fando vnquam auditum.* Virgil. II. Æn.

Fando aliquid si forte tuas peruenit ad aures.

Plaut. Amphitr.------ *Quæcunque neque fieri*
Possunt, nec fando vnquam accepit quisquam.

Tam proximum argumentum.] *Veritati* Subaudiri vult Gentilis, at quid vetat absolutè capi? Tertullian. ad Nationes Lib. I. cap. 12. *Si qua ergo literis vestris superioribus, sed iccircò magis proximi, quoniam illius ætatis fides adiacet* &c. *Proximum* est *Promptum, obuium, manifestum.* Pag. 10.

Fecere tamen & alij talia.] Plautus Mercat.

Nihil est iam quod tu mihi succenseas:
Fecere tale antè alij spectati viri.

Terent. Adelph.

-------- *Peccatum magnum, at humanum tamen,*
Fecere alij: sæpe item boni.----

Noster autem certissimè respexit Ouidiana illa,

Nec minus Hortensi, nec sunt minus improba Serui
Carmina: quis dubitet nomina tanta sequi?

Lasciuè &c. tantáque gratia, vt nobis insolentiam linguæ suæ dulcedine carminum commendet.] Admodum similia hæc Philostrati de Phauorino. διαλεγομένου αὐτοῦ κατὰ τὴν Ῥώμην μεστὰ ἦν σπουδῆς πάντα, καὶ γὰρ δὴ καὶ ὅσοι τῆς Ἑλλήνων φωνῆς ἀξυνέτοι ἦσαν, οὐδὲ τούτοις ἀφ' ἡδονῆς ἡ ἀκρόασις ἦν, ἀλλὰ κἀκείνους ἔθελγε τῇ τε ἠχοῖ τοῦ φθέγματος, καὶ τῷ σημαίνοντι τοῦ βλέμματος, καὶ τῷ ῥυθμῷ τῆς γλώττης. *De Vit. Sophist.*

Catullus.] Lege *Catulus.* Vide Gellium. 19.9.

Solonem cuius iste lasciuissimus versus est,

Μηρῶν ἱμείρων καὶ γλυκεροῦ στόματος.] Extat versiculus prior in Plutarchi Ἐρωτικῷ. Athenæus Deipnos. L. 14. καὶ γὰρ ὁ νομοθέτης Σόλων ἔφη Μηρῶν &c. Αἰσχύλος τε καὶ Σοφοκλῆς ἀναφανδὸν ἔφασαν; ὁ μὲν Μυρμιδόσιν;

Σέβας δὲ μηρῶν ἁγνὸν οὐκ ἐπῃδέσω

Ω δυσχάειστε τῶν πυκνῶς φιλημάτων,
ὁ δ' ἐν Κολχίσι, Γανυμήδους τινὰ λόγον ποιούμενος;
Μηροῖς ὑπαίθων τὴν Διὸς τυραννίδα.

Μηρῶν ἱμείρων.] Legit Cl. Bourdelot. Μείρων εἰ μύρον, accipitque de osculis nectareis seu odoratis.

Mea delitia.] Sic amores masculos vocabant. Cicer. pro Cælio. *Amores autem & hæ delitiæ quæ vocantur, quæ firmiore animo præditis diutius molestæ non solent esse, maturæ enim & celeriter deflorescunt, nunquam hunc occupatum impeditumque tenuerunt.* Glossæ *Deliciæ*, Σπατάλη. Aliæ. Σπατάλη, *Lasciuia, deliciæ.* inde *spatalo-cinædi.*

Pax in amore meo vita tibi remanet.] Scalig. ad Propert. legit,

Par in amore meo biga tibi remanet.

biga vt apud Lucian. Amor. Ζεῦγος ἐρωτικόν.

Ignis torreat vt vult.] Catullus.

Quum vesana meas torreret flamma medullas.

Pag. 11. *Florea serta.*] Plinius de Coronis. *Quum verò è floribus fierent, serta à ferendo seriéue appellabantur.* Gloss. Vindocinens. MS. *Sertum, ex floribus texta corona.*

Aduers. 52.12. *Meum mel.*] Barthius intempestiuo acumine, *Merum mel.* scilicet quia Genios mero colebant. Miles. 3. Noster *Mea mellitula.* Plaut. Capteiu. *Mea mulsa*, & ibid. *Corpusculum mellitulum.* neque aliud solennius occurrit ὑποκόρισμα.

Hæc tibi carmina dono.] Ex more, qui antiquitus obtinuit inter eruditos, Natales amicorum Elegidijs cohonestandi. Censorin. Proem. D. Natal.

Serta tuo Genio.] Optimè, nam & is Numen natalitium, & hoc florali cultu affectus passim. Tibullus.

Lib. 2. Eleg. 2.

Dicamus bona verba, venit Natalis ad aras,
Quisquis ades, lingua vir mulierque faue:
Vrantur pia thura focis, vrantur odores,
Quos tener à terra diuite mittit Arabs.
Ipse suos adsit Genius visurus honores:
Cui decorent sanctas florea serta comas.

Et alibi *Illius è nitido stillent vnguenta capillo,*
Et capite & collo mollia serta gerat. Lib. I. Eleg. 7.

Ætatis florem.] Miles. 9. *Ætatis tuæ flore mulieres appetis.* x. *Flos ætatis nuptialem virgini diem flagitabat.* Infra heic. *In ipso ætatis suæ flore tamdiu vidua.* Tibullus. ------ *Dum primi floret tibi temporis ætas.*

Tuum ver.] Catullus.
Iucundum quum ætas florida ver ageret.

Theodoret. de Iosepho. (περὶ προνοίας Serm. 8.) Ἐν ἦρι μὲν ὢν τῆς ἡλικίας. Stobæus. Serm. 260. Ἐρατοσθένης ὁ Κυρηναῖος τῆς ἡλικίας ἔφη τὸ μὲν ἀκμάζον ἔαρ εἶναι. Herric. Altisiodor. *Ætatis breue ver* ------ de Vit. S. Germ. Lib. I.

Exuperes munera muneribus.] Malim *exæques.* gratiæ paritatem subinnui circumiecta euincunt.

Implexis sertis.] Miles. 6. *Videt spicas frumentarias in aceruo, & alias flexiles in corona:* ferri hæc lectio potest, malim verò *plexiles,* vel *plectiles.* Gellius. Lib. 18. cap. 2. *Coronam e lauro plexam.* Plaut. Bacchid. *Corona plectilis.* Euripid. Hippol. Στέφανος πλεκτός. Gloss. Vindocinens: (quas corrige) *Serta, coronæ plectiles ex floribus.* habet MS. malè *corona reptilis.*

Complexum corpore reddc.] Vocem *complexus* ferè semper eo sensu ponit. Infra heic de Venere voluptaria, *Immodico trucique perculsorum animalium serua corpora complexu vincientem.* Miles. 2. *Ede complexus amabiles.* Et x. *complexus meos ardenter adpetebat.*

Si animum inspires.] Diu, & quidem attentè inspexi hæc, nec assequutus sum: siue *animum* siue, *animam* legas, perobscura sunt. Per me indicta sunto quæ interpretes heic.

Dulciloquo calamo.] Onomast. vet. *Dulciloquus,* μελίλογος. Næuius in Alcest. ap. Gellium. *Dulciorilóquus.* L. 12. c. 5.

Ticidam.] Quem *Aulum* Scipio nominat, eiusque versiculum quendam è Prisciano adducit. Crinitus & Gyraldus eum *Caium* aut *Cneium* vocant. Vt vt de *Prænomine*

sit, eius *Nomen* vindicandum censeo. Scholiast. Horatij ad Epod. 12. *Apud Ticiam Poetam introducitur Pyrrhia ancilla*, &c. Barthius *Licinium* tentauit Aduers. 37. 22. Ego *Ticidam* scribo, cum ipsum nempe de quo heic Apuleius.

Hostiam.] Est qui *Hostiliam* legit, hunc locum ad Propertium citans, sanè non aduersante Lapide nobis proximè laudando.

Plania.] Casaubonus *Flauia* mauult, at nil mutes iccircò: *Plania* in lapidibus visitur, & in veteri Epigrammate:

Aufidius genitor, genuit me Plania mater.

Lucullum quamquam sit Iambicus.] Casaub. *Lucillium quanquam sit Satyricus* Scipio *Lucretium*, quem inter Ερωτικῶν Scriptores Plinius memorat. Gyraldus (locum hunc adlegans) retinet *Lucullum*, de quo Cicero ad Atticum, & Fulgent. ad Chalcidium.

De Poet. Dial. x.

Gentium & Macedonem.] Nomina ab vrbibus, gentibus, aut vendentibus tracta. Vide Varron. de l. lat. Lib. 7. extremo. Helladium apud Photium. Scholiast. Theocriti ad Eidyll. 5. Cæterùm excusi Codices heic variant, partim *Gentilem* exhibentes, partim *Gentium*. Et quidem vetus Lapis *Gentilem* agnoscit.

T. FVLVIO GENTILI.
A. GENTILIS. F.
H. S. E.

at hoc seruile nomen non affirmem esse, ideòque non optimè loco huic conuenire: constat de altero clarius, cū lapidem.

HOSTILIÆ. L. L. RILL.
O. H. S. S.
GENTIVS CONLIBERT.

nec abludit Lemma veteris Epigrammatis, *De duabus sororibus meretriculis ex Illyrico* GENTIA & CHLOE &c.

Macedonem.] Etiam hoc minimè ingenuum, Inscriptio vetus.

M

IPHYGENIA SVAVIS AVE.
MACEDO HAVE.

alia. M. S.
VLPIÆ. M. F.
MACEDONIÆ.
VLP. MACEDONA.
ET MAGN. SEMNVS
FILII.

Amici sui Pollionis.] An potius *Mæcenatis*? si tamen hic *Tuscus Eques* ille de quo Martialis.

Risit Tuscus Eques, paupertatemque malignam Lib. 8. Epig. 56.
Reppulit, & celeri iussit abire fugâ.
Accipe diuitias, & vatum maximus esto,
Tu licet & nostrum, dixit, Alexin ames.

Virgilianos opiliones & bubsequas.] Florid. 1. *Nil aliud plerique callebant quàm Virgilianus opilio, seu bubsequa.* Miles. 8. *Equisones, opilionesque, & bubsequa.* De Deo Socrat. *Velut pastor, vel opilio, vel bubsequa.* Infra heic. *Villicorum, & opilionum, & equisonum rationibus.* Commodè heic offert se Sidonij illud, *subulcósque runcantes*: Et quia non tantùm non alienum est, sed & ab interpretibus eius aut præteritum, aut (quod peius) malè enarratum, ponam (idque apicibus ipsius) expositionem Ioannis Bourdelotij, ab eodem ex Aduersarijs suis amicè communicatam nobis. Quid sit *runcantes* (inquit) Sauaro reticuit plenè. Pius infæliciter exposuerat, *herbas vellentes*: alius dum insultat interpretationi isti, infelicius *stertentes* exponit. Scimus quid *ronchus* & vnde *runco* apud Glossographos, sed *runcare* Sidonio, est *implere cornua bubulcorum seu Mimallonum more*, vt Amycus apud Theocrit. Eidyll. 22.
Pag. 12.
Lib. 1. Epist. 6.

Η ρ' Αμυκος ἢ κόχλον ἑλὼν μυχήσατο κοῖλον.

hinc *runcare*, aut suillum cornu sonitum imitari. hinc βραγχιᾶν, de quo morbo Aristoteles Histor. Animal. Lib. 8. cap. 25. vbi bene Iulius Scaliger *anginam* vertit, est enim faucium morbus. Hesychius corruptis-

ſimus in hac dictione. Βρόγχος νόσημά τι τῶν ἐν τῷ σώματι γινομένων τὸν πρόγχον, ὅταν ὗς μάλιστα διαφθείρηται, lege, Β. ν τι τῶν ἐν τῷ στόματι καὶ τῷ βρόγχῳ γινομένων, ᾧ ὗς μάλιστα διαφθείρηται. Idem legend. verbo γογγύζειν & γογγύζειν, ſed vbique reponendum eſt τονθορύζειν. Poſterior ætas vocauit *Gorriones*. Excerpt. ex Gloſſ. Iſidori, *Gorriones, cum errore ſonantes* lege, *G. cum horrore s.* Galli dictionem *gorret* etiamnum retinent, nec audiendus B. Vulcanius qui ad paſſeres refert.

Agreſtis quidem ſemper, & Barbarus.] Miles. 9. *Non ſum Barbarus, nec agreſti morum ſqualore præditus.* Gellius L. 19. cap. 9. *Laceſſere, inſectarique adorti ſunt, tanquam prorſus Barbarum & agreſtem.*

Auſterior & Serranis, & Curijs, & Fabricijs.] Sonat diuerbium. Ammianus L. 22. *Cassijs triſtior & Lycurgis.* Lib. 31. *Lycurgos inueniſſe ſe prædicabat, & Caſsios.*

Cuius nulla carmina extant, niſi Amoris Elegia.] Plutarch. περὶ τοῦ μὴ χρᾶν &c. ὅτι οὐδὲ ὅσιον εἰπεῖν ἢ καλὸν, ὡς ἀνέραστος ἦν ἡ Ἀκαδημία, καὶ ὁ Σωκράτους καὶ Πλάτωνος χορὸς, ὧν λόγοις μὲν ἐρωτικοῖς ἐντυχεῖν ἐστι, ποιήματα δὲ οὐκ ἀπολελοίπασι.

Amoris Elegia.] Ἐλεγεῖα ἐρωτικά. V. Gellium. 19. 9.

Cætera omnia &c. *igni deuſsit.*] Dythyrambos puta, Tragædias, & quæ alia recenſent Laertiùs, & Ælianus. Lib. 3. Var. 2. 30.

Si tamen tantus natu literas potes diſcere.] Infra de eodem. *Quanquam ſit præcipiti æuo, & occidua ſenectute, tamen, ſi videtur, ſuſcipiat doctrinam, ſeram planè & poſthumam.*

Εἴθε γενοίμην Οὐρανὸς, ὡς πολλοῖς ὄμμασιν εἰς σε βλέπω.] Imitatus eſt Martialis. Lib. 8.

Victorem modo cum videret Iſtri,
Tot vultus ſibi non ſatis putauit,
Optauitque oculos habere plures.

nec abludunt Catulli hæc:

Aut quam ſidera multa quum tacet nox,
Furtiuos hominum vident amores.

profectò propius hæc abſunt à Platone quàm quæ Scipio affert.

A

Astra vides.] Nec hos, nec sequentes versus comparere in Florentino aiunt.

Lucifer ante,&c] Ausonius sic transtulit,

Stella prius superis fulgebas Lucifer, at nunc
Extinctus, cassis lumine vesper eris.

Nouissimum versum eius.] h. e, Partem nouissimum Pag.13.
versus &c. quam heic Disticho expressam habes. Plato enim composuit Hexastichon quod apud Laertium extat, certissimè iis inuisum qui hoc loco *Notissimum* legebant, locumque optimè se habentem ægrotare fecerunt. bellè cum literis ageretur si extra talium medicinam essent. Chirurgi sunt, qui continuum soluunt vbi nullum vlcus subest.

Quasi vllum specimen morum sit, versibus ludere.] Sanè. Sidonius. Lib.9.Ep.16. *Ne reus cantu petulantiore, Sim reus actu.* Cicero in Pison. *In quibus* (versibus) *si quis velit, possit istius t nquam in speculo vitam intueri.* At non ob hæc est vt ab Authoris sensu cedamus.

Voconij.] Is est, cuius ita frequens nomen apud Plin. Nepot. duntaxat L. 2. Epist. 13. Plura Gregor. Gyraldus 4. Dial.

Voconij tumulum versibus veneraretur.] Imitatus Augustum, quem hoc idem Druso fecisse narrat Sueton. Claud. cap.1.

Veneraretur.] malim, *muneraretur.* Florid. 3. *Remuneratio dicendi.*

Imperator & Diuus, & Censor Hadrianus.] Libri alij. *Imperator, & Censor, Diuus Hadrianus.* quod vt verius sit (quod crediderim facilè) scriptura ea quam sequuti sumus, *censoris* titulus tamen tanquam augustior post *Imperatoris* ponitur. infra de Scipione. *Africano, Numantino. & præterea Censorio.* Gellius de Catone L.7.cap. 3. *A Senatore, & Consulari, & Censorio viro.* Idem Lib. 13. cap. 22. *M. Cato Consularis, & Censorius.* neque temere hoc, imo neque quod *Censuram* inijt post *Consulatum*; sed ex dignitate *Censuræ*, quam κορυφὴν τιμῆς ἁπάσης, καὶ τρόπον τινὰ τῆς πο-

In Caton. maior. λιτίας ἁπάσης ἐπιμέλειαν Plutarchus vocat. Planè Imperatoria poteſtas etſi omnes alios, *Cenſoris* titulum tamen neutiquam complectebatur, vt videre eſt ex Dionis Libro 53. Tandem collatus adulatione & corruptela temporum, quodammodo Imperatoris nomini coaluit. Zonaras Annal. Tom. 2.

Namque & id genus omnia.] lege, *Namque id genus omnia* &c. aut (vt cuſi recentiores quidam) *Namque hæc, & id* Pag. 14. *genus omnia.* Infra. *Hæc, & id genus ea quàm merito tunc dici potuerint* &c.

Naturâ vox innocentia.] Phædrus Lib. 4.

---Difficulter continetur ſpiritus,
Integritatis qui ſinceræ conſcius,
A noxiorum premitur inſolentiis.

Plaut. Amphitr. *--- Quæ non deliquit, decet*
Audacem eſſe, confidenter pro ſe, & proteruè loqui.

ſuprà Noſter ex Cæcilio Statio, *Innocentia Eloquentia eſt.*

Silentium maleficio] Petronius. *Oppono ego manus oculis meis, nulliſque precibus effuſis, quia ſciebam quid meruiſſem.* &c. Plin. Lib. 9. Epiſt. 21. *Fleuit multum, multum rogauit, multum etiam tacuit.* Sidon. L. 4. Epiſt. 23. *Audito culpæ tenore corripui latitabundum verbis amaris, vultu minaci:* &c *ad hæc ille confuſus erubuit, nil impudenti excuſatione deprecatus errorem, ſed ad cuncta conuictum quum redarguerem, verecundiæ iunxit comites lacrymas.*

Rariſſimo cuique piorum gnara.] Petron. *Secreta quæ etiam myſta vix omnes norunt,*

Omnibus profanis incognita.] Lucanus.

------- Populis ignota profanis.

Geminam eſſe Deam Venerem.] Plutarch. ἐρωτικ. Achill. Tat. L. 7. Max. Tyr. Diſſert 8. 9. 10. & 11.

Vulgariam.] πάνδημον Ἀφροδίτην, quam Lucretius *Volgiuagam* vocat, Marcian Capella *Voluptuariam.*

Perculſorum animalium.] οἰστροπλήγων. Virgil.

------ Perculſus amore.

Horat. *Amore perculſum graui.*

Serua corpora.] Male Coluius, *ferae.* præcessit *imperitandi* vox, cui respondet τὸ *serua.* Vtraque sententiæ loci perquam concinna. Cephalus apud Platonem τὴν ἡδονῶν πάθος, λυττῶντα καὶ ἄγριον δεσπότην vocat. Meminit Theodoret. Serm. περὶ πρακτ. ἀρετῆς. Paria de Sophocle Plutarch. Tract. ὅτι οὐδὲ ζῆν &c. Ammian. Marcellin. Lib. 25. Philostrat. de vita Apollon. 1. 10.

Prædita quæ sit optimati Amore.] Aperibo veram loci huius lectionem, nemini ex Interpretibus tamen vel per somnium visam. Scribe, *P. q. s. o. amori. Prædita* est *Præfecta.* Libro de Philosophia. *Despondentibus eiusmodi nuptias publicæ ciuitatis sapientibus, & magistratibus sorte quadam ei negotio præditis.* Et in de Deo Socratis, (de Dæmone custode loquens.) *At vbi vita edita remeandum est, eundem illum qui nobis præditus fuit, raptare & trahere veluti custodiam suam ad iudiciũ.* Glossæ Προέστηκεν ἀρχῆς, ἤτοι ἀξίας. *Præductus est*, lege *præditus est.* Ibid. Προεστὼς, *præpositus. præditus.* Glossæ aliæ, *Præditus*, Γεννηθεὶς, ἤτοι παραχθεὶς, κεχορηγημένος, ἀγχωρημένος, Gloss. Vindoc. MS. *Præditus, probatus, antepositus.*

Paucis curare.] Eadem infra syntaxi, *adeò rebus meis curat.* & in de Deo Socrat. *quibus eorum singuli curant.* Plautus passim sic *cupere alicui* Cicero ad Quint. Fratr. *Alicui malle* in de Pallio Tertullianus.

Turpitudinem. Probo quod in aliis est. *Turpidinem*, sic in Eurysace Accius. *Squalidinem.*

Quippe eius Amore &c.] Locus corruptus, sic à Casaub. curatus. *Quippe eius amorem non. a. e. l. s. c. incomptum e. s. p. b. virtutis amorem amatoribus s. c.*

Si quando decora corpora commendet, à contumelia eorum procul absterrere.] Xenophon παιδ. v. Οἱ δὲ καλοὶ κἀγαθοὶ ἐπιθυμοῦντες καὶ χρειῶν καὶ ἵππων ἀγαθῶν, καὶ γυναικῶν καλῶν, ὅμως ἁπάντων τούτων ῥαδίως δύνονται ἀπέχεσθαι, ὥστε μὴ ἅπτεσθαι αὐτῶν παρὰ τὸ δίκαιον.

Absterrere.] Ita Libri omnes, nescio quam Latinè. Scripsit ne Apuleius *abstinere*, aut *abhorrere?* vt infra, *Vitam suam procul ab huiusmodi criminibus abhorrere.* An fors *Ab-*

sterrere dixit pro *Pellere, Fugare*, Lucretium sequutus?

> *Sed fugitare decet simulachra, & pabula amoris*
> *Absterrere sibi.-----*

si hoc, pro *a contumelia*, lege *contumeliam*.

Neque enim quidquam aliud in corporum forma diligendum, quam quod admoneat diuinos animos eius pulchritudinis &c.] Ioh. Scholast. de religioso quodam Grad. 15. Κάλλος θεασάμενος, τὸν ποιητὴν μεγάλως ἐδόξασε, καὶ ἀπὸ μόνης τῆς θέας εἰς ἀγάπην θεοῦ &c. κατεφέρετο. Porrò signatissime Noster *admoneat*. Plutarch. Ἐρωτικ. Τὸ τοῦ σώματος κάλλος τῆς μνήμης ὄργανον.

Quam prius.] Ἀναστροφή. Propert.

> *Quamprius abiunctos sedula lauit equos.*

sic & in Copa Virgilius, *Quampotius*. Plaut. Trucul. *Diu quam*. Attici ἢ πρὶν pro πρὶν ἤ, vt notat Scalig.

Amabit sapiens, cupient cæteri.] Nonnius (hęc Afranij citans,) *Cupido & Amor idem significare videntur, at est diuersitas. Cupido est inconsiderata necessitatis: Amor iudicij*. Marc. Capell. *Consociato sibi quodam puero renidente, qui nec Veneris voluptuariæ filius erat, & tamen Amor à sapientibus dicebatur.*

V. Xenoph. παιδ. 5.

Pag. 15.

Contra sententiam Neoptolemi Enniani, pluribus philosophari.] Fusè hoc argumentum tractat Lælius Bisciola Horar. Subsic. Tom. 1. Lib. 3 cap. 3.

Ante ipsa crimina superest.] *Superesse* quid hoc loco sit, aut quo sensu dictum, ignoro planè. Vide quid erui possit è Gellij. 1. 22.

Audias vt adhuc fecisti, libenter & diligenter.] Cicero Verr. 7 *Quæso vt fecistis adhuc, diligenter attendite.* Philipp. 13. *Vt adhuc fecistis, me attente audiatis.* Pro Cluentio. *Vt adhuc me attentè audistis, item quæ reliqua sunt audiatis.* Infrà Noster. *Quæso vti adhuc feceritis* (lege *fecistis*) *vel si quo magis etiam potestis, ipsum fontem & fundamentum mendacij huius diligentissimè cognoscatis.*

Pene diruptus est Pudens.] A vocis intentione nempe, quod in foro non infrequens. Cicero. *Dirupi penè me in iu-*

dicis Galli Caninij. Lucian. διακεκραγέναι καὶ διαρρηγνύναι βοῶντας. Solebant Patroni Actoresque hunc φωνῆς τόνον καὶ τραχύτητα προσθέντας, vt incenderent animos iudicum, vltrà verbis fidem quærerent. Lepidum in hanc mentem est Demosthenis illud apud Chæronensem. Λέγεται ἀνθρώπου προσελθόντος δεομένου συνηγορίας, καὶ διεξιόντος ὡς ὑπό του λάβοι πληγάς, ἀλλὰ σύγε φάναι τούτων ἂν λέγεις, οὐδὲν πέπονθας. ἐπιτείνοντος δὲ τὴν φωνὴν τοῦ ἀνθρώπου, καὶ βοῶντος, Ἐγὼ Δημόσθενες οὐδὲν πέπονθα; νὴ Δία φάναι, νῦν ἀκούω φωνὴν ἀδικουμένου καὶ πεπονθότος. οὕτως ᾤετο μέγα πρὸς πίστιν εἶναι τὸν τόνον.

Dial. adu. indoct. &c.

Tragædi Syrmate Histrionis, crotalone ad Trieterica Orgia, aut Mimi centunculo.] Salmasius ita legit & distinguit. *Tragædi syrmate, histrionis crocota, Mimi centunculo*. Casaubonus altera lectione nil planius agnoscit.

Ad pall. Tertull.

Crotalone.] Scholiast: Aristoph. Νεφελ. Κρόταλον κυρίως ὁ σχιζόμενος κάλαμος ὁ κατασκευαζόμενος, ἐπίτηδες ὥστε ἠχεῖν, εἴτις αὐτὸν δονοίη ταῖς χερσὶ καθάπερ κρότον ἀποτελῶν. Eustath. in Homer. Ἰλιάδ. λ. Κρόταλα εἰσὶ σκεύη τινὰ ἐξ ὀστράκου τυχὸν, ἢ ξύλου, ἢ χαλκοῦ, ἃ ἐν χερσὶ κρατούμενα θορυβεῖ. Ioan. Sariburiens. (aut profectò verius Scholiastes eius) *Crotala sunt sphærulæ sonoræ, quæ quibusdam granis interpositis, pro quantitate sui, & specie metalli, varios sonos edunt*. Vide quam ab inuicem differant hi Magistri. Et certè in veteris Musices instrumento nil ignotius occurrit, siue formam, siue materiam spectes, siue quatiendi modum. Mitto de prioribus dicere: libet heic de modo quærere: nimirum quo discrimine à sistrali agnosceretur. nam quæ de vtroque hac parte legi adeò consimilia sunt, vt quid quo loco subintelligam, vix dicere habeo. Rem illustratum eo scriptorum commissione. Noster describens *Sistrum* in pompa Isidis, *Æneum crepitaculum* vocat, *cuius per angustam laminam in modum baltei recuruatam, traiectæ mediæ paucæ virgulæ, crispante brachio tergeminos ictus, reddebant argutum sonorem*. Plutarchus. Τῇ ἀψῖδι τοῦ σείστρου κατὰ κορυφὴν ἐντορεύουσιν αἴλουρον ἀνθρώπου πρόσωπον ἔχοντα, κάτω δὲ ὑπὸ τὰ σειόμενα, πῇ μὲν Ἴσιδος, πῇ δὲ Νέφθυος πρόσωπον. Ex

Miles. xi.

De Isid. & Osir.

Scriptoribus his (vt id obiter dicam) coniunctis, en exactam *Sistri* deformationem, qualemque nuper vidimus in Italia cusam, è Musæo Francisci Gualdi Ariminensis Equitis. omnium quotquot vspiam pictas vidi, longè optimam eam, & (vt puto) non pessimo consilio heic oblatam tibi.



At in viam è diuerticulo. Vides in *Sistri* concussione *crispans brachium*; iamque Virgilius audi vt *Crotalistriam* describit;

Copa Syrisca caput Graia redimita mitella,
Crispum sub crotalo docta mouere latus:
Ebria formosa (scribe *fumosa*) *saltat lasciua Taberna,*
Ad cubitum raucos excutiens calamos.

quæro hoc loci quid eſt *criſpum latus*, ſcilicet an alios motus ſignet ab Apuleij *criſpante brachio*, & χειρονομοῦντι πήχει Epigrammatarij. Habes en nodum ſenſu meo vindice non indignum, eo magis, quod & Salmaſius & Scaliger eum integrum liquere. At ne videar controuerſia mota hoc argumentum deſerere, aut aufugere (vt cum Plauto loquar) tragula iniecta: doctiſſimi Bourdelotij ſuper hac re, atque adeo pręſenti Authoris loco ſententiam depromam, eamque ipſius verbis meo more appingam. Locum infirmum (inquit) præſtantiſſimi Medici iudicarunt, & variè illius curam aggreſſi ſunt; quidam amputatione ſanatum crediderunt, ſed ſimplex luxatio eſt. repono, *Tragadi ſyrmate*, *hiſtrionis crotalo*, *vt ad Trieterica Orgia*, *mimi centunculo*. Nullus autem inter Grammaticos diſſenſus eſt, ſi quidem quiſque varias *crotali* materias deſignat; Apuleius *æs*, vt & Sariſburiens. Euſtath. ὄστρακα. Prioribus conuenit Martialis non ſemel, vbi agit de Bæticis crumatibus. cum Euſtathio Ariſtophanes Βατρα χ.

πῦ πῦ ἡ τοῖς ὀστράκοις αὕτη κροτοῦσα;

Iuuenalis Sat. XI.------*Audiat ille*

Teſtarum crepitus cum bombis.

Lege D. Hieronym. Præfat. in Sophoniam. Quod autem quęritur quid ſit *criſpum latus*, nihil aliud eſt quam motus obſcænisſimus clunium, quo

---*Iam frigidus æuo*

Laomedontiades, & Neſtoris hernia poßit

Incendi-----Iuuenalis, vnicus huius moris interpres, ead. Satyr.

--- *Plauſuque probatæ*

Ad terram tremulo deſcendant clune puellæ.

Loquitur enim de Ambubaijs & Gaditanis, quę nunc etiam in his motibus doctiſsimę. *lumbum fluctuantem* dixit obſcęnus vates, & veteres *fluxum* vocauerunt. ſic in Iuuenalis illo Sat. *6. Medullinæ frictum*, Codd. nonnulli *fluxum*, quanquam idem eſt. Et in *Pantomimo*, Epigramma-

rum Vett. Lib. 4. vbi vulgò,

Mascula fœmineo deriuans pectora sexu,

Codex V.C. Salmasi. habet *fluxu* rectissimè, aut *flexu*, quod non alienum est.

Pag. 16. *Cereris mundum*] Miles. 2. *Auro, veste, gemmis, omnique cætero mundo exornata.* Et XI. *Serica veste, mundoque pretiose.*

Cereris mundum profano inspexisse.] Callimach. Hymn. Cerer.

Τὸν κάλαθον κατιόντα χαμαὶ θασεῖσθε βέβαλοι,
Μηδ' ἀπὸ τοῦ τέγεος, μηδ' ὑψόθεν αὐγάσησθε.

Imo sacri huius ministris, vel enim sacerdotibus ipsis inspectio illicita. Pausan. Attic. Αναθεῖσαι αἱ καναφόροι σφισὶν ἐπὶ τὰς κεφαλὰς ἃ ἡ ἱέρεια δίδωσι φέρειν, οὔτε ἡ διδοῦσα ὁποῖόν τι δίδωσιν εἰδυῖα, οὔτε ταῖς φερούσαις ἐπισταμέναις. quę tamen pulchrè denudant Clem. Alexandr. & Arnobius.

Nil esse aspectabilius homini nato, & in formam suam.] Senec. Natur. quęst. L. I. cap. 16. *Insitus fuit mortalibus amor, dulcem cuique aspectum formæ facit.*

Homini nato.] Petron. *En homo quemadmodum natus.* supra heic. *quid ego de homine nato diutius?* Miles. 9. *Nil fortuna renuente licet homini nato dextrum prouenire.* Plautus. *Qui suum repetunt, alienum reddunt nemini nato.* Plinius Lib. 4. Proœmio. *Hominem genitum.*

Aut quid sibi statuæ & imagines varijs artibus effigiatæ &c] Infra non longè, *si mos omnium cæterorum hominum retinendus videtur in statuis & imaginibus non repudiandis, cur existimes imaginem suam cuique visendam potius in lapide, quam in argento? magis in tabula quam in speculo?*

Imagines effigiatæ.] Macrob. Saturnal. Lib. 5 c. 17. *Hac materia vel maximè in efficiendis simulachris vtuntur.* putabam (summa iniuria) τῷ *efficiendis* stribiliginem fuisse: per hoc reponere gestiebam *effigiandis.* iam ineptisse me video, & Macrob. probe loquutum esse. Fabius L. 12. c. 10. *Phidias Dijs quam hominibus efficiendis melior artifex traditur.* Cod Theod. l. vlt *de artif. Efficiendos sacros vultus.*

Nisi forte

Nisi forte quod artificio elaboratum, &c.] Male acceptus locus. ego sic restituo. *Si forte q. a. e l. h, hoc à natura o. c. i. e? cum sit ab ea vel m. m. e. f. e. s.* Confer cum vulgata lectione emendationem nostram, simul perpende totam πραγματείαν istam, dices nonnihil locum hunc debere nobis.

Vigor.] Florid. 1. eod. argum. *Vtique omnibus statuis, & tabulis, & toreumatis, idem Vigor acerrimi bellatoris.* Vim vocis explicant Ausonij illa in Mosella,

Quique sub amne suo mansit vigor, aere nostro
Segnis, anhelatis vitam consumit in auris.

loquitur de pisce capto, & in littore abiecto.

Rigor.] Senec. in sap. non cad. iniur. cap. 3. *Quædam non possunt igne consumi, sed flamma circumfusa, rigorem suum, habitumque conseruant.* Videtur vox hæc deprompta è Stoicorum Philosophia. Eam qui colebant sectam, aiebant animam non in vtero concipi, sed effuso, necdum viuo partui extrinsecus imprimi. Tertullian. de Aïa. cap. 25. *Semen ex concubitu muliebribus locis sequestratum, motuque naturali vegetatum, dixerunt compinguescere in solam* (lege *solidam*) *carnis substantiam; eam editam & de vteri fornace fumantem, & calore solutam, vt ignitum ferrum ibidem frigida immersam, ita aëris rigore percussam, & vim animalem rapere, & vocalem sonum reddere.* En tibi *Rigorem* illum quem thesaurum animæ dixere, adeóque ψυχὴν dictam παρὰ τὴν ψῦξιν. Et fors hinc lucem capiet Papinij illud 3. Syluar.

——— *Animaque supremum*
Frigus amat. ———

Lucem inquam, neque creperam eam, accipiet, de quo hactenus nil interpretes. Porrò πύκνωσιν hanc, siue περίψυξιν, (quam & Plato ipse nonnunquam innuit) perstringit Plutarch. περὶ Στωικ. ἐναντ.

Mobilis, & ad omnem nutum hominis sui morigera.] Lucretius, lib. 4.

Indugredi porrò pariter simulachra, pedemque
Ponere nobiscum credas, gestumque imitari.

Tot ætatis vices] Vetus Poëta.

Vices variabilis æui.

Noster in Floridis.

Quot vices vitæ.

Tot vultus eiusdem lætantis, vel dolentis imitatur] Allusit scriptor eruditus Zeno Veronensis. *Caro quasi quoddam est speculum intuentis plenitudine grauidatum, quod non tam imaginem suam, quam eius cuius est in vsibus gerit; denique tot efficit vultus, quot ille intrinsecus tristes seu hilares suos fecerit motus.*

Serm. de Resurr.

Luto fictum.] κερολεξία. Cicero Pisoniana. *Homullus ex argilla & luto fictus.* Varro ταφῇ Μενίππου. *Vt hirundines singulis oblitis luto tegulas fingebant.* Martialis 10. 39.

[illegible] *Prometheo diceris esse luto.*

Gregor. P. Homil. 23. *Fingere componere est, vnde compositores luti figulos vocamus.* Balb. Cathol. *Figulus, Cellarius, luti compositor: qui lutum confingit.*

Cera inustum.] Ausonius.

Ceris inurens ianuarum limina.

Et atriorum pegmata.

veteris inscript. Fragm. ΤΗΝ ΓΡΑΦΗΝ ΤΩΝ ΤΕΤΟΙΧΩΝ ΚΑΙ ΤΗΣ ΟΡΟΦΗΣ ΚΑΙ ΤΗΝ ΕΓΚΑΥΣΙΝ ΤΩΝ ΘΥΡΩΝ. Vide Salmasium ad Vopisc. & in Plinianis suis ad Solin.

Pag. 17.

Tantum præstat imaginis artibus ad similitudinem referendam, &c.] Perplexa hęc. Coluius tentabat *imagineis artibus.* Meursius, *Tantum præstat artibus imagines ad similitudinem referendam.* Non videtur ex optima Latinitate illud *imagines ad similitudinem referre.* quid quod & vera communis lectio, luxata tantum. Sano omnia, citra vel vnius apicis mutationem, scribens, *Tantum præstat artibus ad imaginis similitudinem referendam, &c. Artes* sunt, *ære infundere, lapide incidere, cera inurere*; de queis supra dictum.

Lauitas illa speculi fabra, & splendor opifex.] Dubitabam de vltima voce, scilicet an eandem Analogiam ferret

quam *Vultus*, *nodus artifex*, & similia. itaque legebam *Lautus*, &c. *splendorifera*, sic *lumen splendoriferum* carmine de iudicio Domini, quod in vulgatis Libris Tertulliano existimatur.

Solque cadit splendorifero qui lumine clarus.

nimirum lumine cuius splendor oculos ferit; quod etiam male speculo non tribueris, aut alio læui corpori, splendentique. Doctissimus Bourdelotius quum sensum eius de hoc loco quærerem, aiebat ferre se vulgariam lectionem: *splendoremque* heic *opificem* dici, quod quasi *opifex* formam effigiet, quam acutam & ingeniosam expositionem meritò promulgandam censui.

Neque pingi, neque fingi.] Passim coniunguntur hæc, posterius Statuariam notat. In de Deo Socratis. *Nescio vt Apelles coloribus pingere, vt Lysippus fingere.* Ammian. Marcell. Lib. 24. *Neque enim apud eos pingitur vel fingitur aliud, præter varias cædes & bella.* Macrob. Saturnal. 5.17. *Pictores, fictoresque.* Lactant. diuin. instit. 1. 11. *Sed & pictores etiam, fictoresque imaginum.* Pacat. Paneg. *Pictorum atque fictorum assequetur imitatio.* Senec. ἀποκολ. *Qui contra hoc SC. Deus factus, fictus pictusue erit* &c. Plaut. Asin. *Neque fictum vnquam, neque pictum, neque scriptum in Poematis.* Cicero de Alexandro Famil. Lib. 5. epist. 12. *Ab Apelle potissimum pingi, & à Lysippo fingi volebat.* Ibid. de Agesilao nostro. *Neque minus enim est Spartiates Agesilaus ille perhibendus, qui neque pictam, neque fictam imaginem suam passus est esse.* Subest non leue mendum post tot Interpretes. lege (monente Bourdelotio) *perennis.* firmat tota Epistolę series, quę de *perennitate* est.

Diffidens formæ suæ.] Obseruat idem Bourdelotius hoc ex vulgi opinione dictum, nam errorem hunc, seu calumniam potius, elegantissime Dio Crysost. refellit Orat. Corinthiac. Animum scilicet, quo potissimum conspicui homines, non posse popingi, quæ mens Plotini etiam (Platonis æmuli) fuit, teste in eius vita Porphyrio. alia etiam vtrique ratio, (illi

apud Plutarch: huic apud Porphyr:) res ab ijs geſtas inſtar omnium imaginum fore.

Vt virtutis laude turpitudinem tegerent.] Laërtius. Παιδείας τὴν δυσείδειαν ἐπικαλύπτοιεν. Lyſias (Scipioni notatus,) Τὰ τοῦ σώματος δυστυχήματα τοῖς τῆς ψυχῆς ἐπιτηδεύμασιν ἰᾶσθαι. Senec. Nat. quæſt. lib. I. *Specula inuenta ſunt vt homo ſe ipſe noſcat. multi ex his conſequuntur primò ſui notitiam, mox conſilium quoddam: formoſus, vt vitet infamiam, &c. deformis vt ſciat virtutibus redimendum, quidquid corpori defuerit.* Phædrus. Lib. 3. ---

Quotidie ſpeculo vos vti volo,
Tu formam ne corrumpas nequitiæ malis,
Tu faciem vt iſtam moribus vincas bonis.

ſimilia Galenus Adhortat. ad Art.

Vir omnium ſapientiſſimus.] Sic inde Deo eius. *Socrates vir apprimè perfectus, & Apollinis quoque teſtimonio ſapiens.* Ibid. *Quem cuiuis ampliſſimo Numini ſapientiæ dignitas coæquarat.* & Miles 10. *Diuinæ prudentiæ ſenex, quem ſapientiâ prætulit cunctis mortalibus Deus Delphicus.* Nos hæc è Noſtro tantum, eius plura ex alijs Elogia notant Remus ad Themiſt. Elmenhorſt. ad Minucium. Bourdelot. ad Petron.

Primarium dicendi artificem] Cicero de Orat. I. *Quæ Græci dicendi artifices, & doctores reliquerunt.* Vide hominem doctiſſ. Lud. Creſſolium Theatr. vett. Rhett. Lib. 3. cap. I.

Ante ſpeculum, quaſi ante Magiſtrum, cauſſas meditatum] Εἶναι αὐτῷ μέγα κάτοπτρον οἴκοι, καὶ πρὸς τοῦτο τὰς μελέτας ἐξ ἐναντίας ἱστάμενον περαίνειν, tradidiſſe ex ore ipſius Plutarc. Phalereum ait. Fabius Lib. XI. cap. III. *Decor quoque à geſtu & motu venit: ideoque Demoſthenes grande quoddam intuens ſpeculum, componere actionem ſolebat.* Simile quid ſonant Themiſtij ea Orat. XIII. nam quum abſentem Imperatorem Conſtantium laudans, in Senatu cauſam redderet cur Romam vſque non fuiſſet profectus, vt eum coram præconio ferret, dixit, ἐγγυμνάσιον εἴη καὶ ἐμμελετητέον πρὸ τῆς ἀληθινῆς θέας, τοῖς εἰκόσι καὶ τοῖς κατόπτροις, priuſquam ad auguſtum illud ſpectaculum accederet, eſſe obtutum

ad ſpecula formandum, cómponendumque.

Quaſiante Magiſtrum.] B. Nazianz. Carm. *63. ſpeculum* vocat σὺν ὁρόωντα διδάσκαλον.

Pronuntiandi congruentiam ab ſpeculo petiuit.] Non aliter aues quædam edoceri ſolitæ. Idem de ſturnis.

Ψῆρες μὲν λαλέουσιν ὁμοίιον ἀνθρώποισιν,
φωνῆς ἀλλοτρίης ζηλήμονες, ἥν ἐδίδαξεν
Εἴδωλον ξεστοῖο καὶ εἰσόπτροιο φαεινὸν
Ψηρὸς, χρυσταλλίνη τε ἰεὶς ὄπα κερδαλέως φώς.

Philoſopho obiurganti.] Appoſita nimis vox illa *obiurganti*. Gellius lib. 5. cap. 1. *Cum Philoſophus hortatur, monet, ſuadet, obiurgat.* Idem Lib. 19. ca. 10. *Cum ſententia quidem tali, quali ſeueriſſimæ Philoſophorum eſſe obiurgationes ſolent.* Iterum de Epicteto Philoſopho Lib. 1. cap. 2. *Theorematibus nugalibus, & puerilium Iſagogarum commentationibus dilatrantes, obiurgatione iuſta inceſſuit.* Et ibid. cap. vlt. de Plutarchi ſeruo, homine (vt ipſius verbis loquar) nequam, & contumace: ſed libris diſputationibuſque Philoſophiæ aures imbutas habente: *Poſtremo vociferari inter vapulandum incipit; neque iam querimonias, aut gemitus, eiulatuſque facere, ſed verba ſeria, & obiurgatoria.* Addam etiam quæ ſequuntur ibi, adeò tempeſtiuè ſe obijcientia, amplius, in exemplari Colonienſi meo ita fæde interpolata. *Non ita* (inquit) *eſſe Plutarchum, vt diceret Philoſophum iraſci turpe eſſe: ſæpe eum de malo ira diſſertauiſſe: librum quoque* περὶ ἀοργησίας *pulcherrimum conſcripſiſſe. Is omnibus quæ in eo Libro ſcripta ſunt, nequaquam conuenire,* &c. Scribe & interpunge. *Non ita eſſe Plutarchum vt deceret: Philoſophum iraſci turpe eſſe,* &c. Et ſtatim; *iis omnibus* &c.

Iudices ſorte ductos.] Κεκληρωμένους. De more ita Aſconius 2. Verr. *Quàm multi Iudices in conſilio cum Prætore ſuo iudicaturi eſſent qui Quæſitor fuiſſet in cauſa publica,* &c. *neceſſe fuerat eos primum de Curia Senatoria conſcribi quum Senatus iudicaret: deinde in vrnam ſortitò mitti, vt de pluribus neceſſarius numerus confici poſſet. tertiò permitti accuſatori & reo, vt ex illo numero reyciant quot putauerint ſibi aut inimicos, aut*

ex aliqua re incommodos fore. &c. *reiectione celebrata subsortiebatur Prætor alios, quibus Iudicum legitimus ille numerus compleretur.* Huius argumenti ſunt corrupta ea in Iſidori Gloſſis: *Sortinidus, qui iudet per ſortem.* Pro *iudet iudices* ſcribendum facile video: in prioribus comminiſci nil poſſum quo acquieſcam.

Pag.18. *Sorte ductos.*] Miles. 3. *Sorte ducti noctibus excubabant.* Ibid. *Sorte ducti miniſterium faciunt.* Propert.

Ductis ſtat ſortibus vrna.

Gloſſæ. Βαλλομένων, *Ductis ſortibus:*

Num vt ait Epicurus, profectæ à nobis imagines. &c. *iugi fluore a corporibus manantes.*] Sumptum, vt alia placita eius, à Democrito. Cicero de eod. 2. Diuin. *A corporibus ſolidis & certis figuris, vult fluere imagines.* V. Gellium, Lib. 5. cap. 16.

Illiſæ reflectantur.] Male Pithæus & Elmenhorſt. *illicò*: legend. vt vulg. *illiſæ*, vel *eliſæ*. Lucretius.

Planiciem ad ſpeculi veniens quum offendit imago,
Non conuertitur incolumis, ſed recta retrorſum
Sic eliditur, vt ſi quis prius arida quam ſit
Cretea perſona, allidat pilæue, trabiue;
Atque ea continuo rectam ſi fronte figuram
Seruet, & eliſam retro ſeſe exprimat ipſa.

Controuerſim reſpondeant.] Lego, *contrauerſum*; ſic *poneuerſum* Miles. 2. & *vndique verſum* infra hac Apologia.

Atque ei vniti.] Ita Libri, & potior Expoſitorum pars: magis Africanum puto *inuniti*, ἑνωθέντες. Tertullian. contra Valentin. cap. 29. *Triformem naturam primordio profeſſi; & tamen inunitam in Adam.*

Intentu aëris fracti, vt Stoici rentur.] Gellius vbi ſuprà.

Oculis profecti.] ſic etiam ſupra proximè, *profectæ à nobis imagines.* longè non abeſt tamen quin *proiecti* & *proiectæ* reponam: nam & Plato, & Heliodor. Lariſſ. eodem argum. προβάλλειν: & reſpódent oppoſitæ voces *reiectare, reijcere*, quod aiunt ſpecula facere poſt recepta ſimulachra.

Lucretius------*aſsiduo crebroque repulſu*

Reiectæ reddunt speculorum ex æquore visum.

Idem------- *nostros oculos reiecta reuisit,*

Basil. Scholast.---------- *Figura*

Qualem reiectat speculi nitidissimus orbis.

Corpori &c. *spisso, & splendido, & læui.*] In de Deo Socrat. *Corpore denso, seu læui, seu quodam speculo.*

Resultent ad faciem suam reduces.] Donat. in Adelph. *Inspiciendi speculi effectus, est formæ per imaginem resultatio.* Gloss. Vindocinens. ineditæ: *Resultare, similitudinem referre.*

Quod extra tangunt ac visunt, id intra speculum imaginentur.] Opinio Hipparchi. Plutar. de Plac: Philosop. Lib. IIII, cap. XIII. Ἵππαρχος ἀκτῖνάς φησιν ἀφ' ἑκατέρου τῶν ὀφθαλμῶν ἀποτεινομένας τοῖς πέρασιν αὐτῶν, οἷον χειρῶν ἐπαφαῖς περικαθαπτούσαις τοῖς ἐκτὸς σώμασι, τὴν ἀντίληψιν πρὸς τὸ ὁρατικὸν ἀποδιδόναι. ex quibus obiter etiam intelligas illud *tangunt*, quod Heliodorus Larissæus ἐπιβάλλειν vocat. ὅτι (inquit) προσβολῆς τινος ἀφ' ἡμῶν γινομένης, ἐπιβάλλομεν τοῖς ὁρωμένοις. In κεφαλ. ὀπτικ.

Cuncta specula vel vda, vel suda.] Seneca Natur. quæst. Lib. I. cap. XVI. *Quamuis enim eum* (Solem) *orientem occidentemque contemplari liceat, tamen habitum eius, ipsum qui verus est,* &c. *nesciremus, nisi in aliquo nobis humore læuoréue aspici facilior occurreret. humor & læuor* sunt quæ heic *vda* & *suda.*

Cur caua specula si exaduersum soli retinetur, oppositū fomitem accendunt.] Plinius lib. VII. cap. CVI. *Cum specula quoque concaua aduersa solis radijs, facilius etiam accendantur.* Pag. 19.

Exaduersum Soli.] Florid. II. *Samos Icario in mari modica Insula est, exaduersum Miletos.* leg. *Mileto.* Terent. *Exaduersum loco Tonstrina erat.*

Appositum fomitem.] Rectè Casaub. *Oppositum f.*

Duo Soles æmula similitudine.] Aristoteles παρηλίους vocat, vt & Seneca citato loco. Cicero *geminatum solem.* Caussas apud Ammian. vide, Histor. Lib. XX. Senecam vbi supra. Aristot. in Meteorologicis. Lib. 3. Cap. II.

Alia præterea eiusdemmodi.] Infra. *Item alia eiusdemmodi.*

Florid. 2. *Hæc & alia eiusdemmodi.* In de Deo Socr. *Eiusdemmodi beneficio.*

Quem Tu Librum, &c.] Κατόπτρων ἐξάψεις inter alia eius Tzetzes memorat. forsan non alium librum Apuleius innuit.

Chiliad. xiii. c. 457.

Sat. 1.

Abaco & puluisculo.] Vetus Persij Interpres. *Abacus dicitur mensa, in qua Geometræ designant loca vel mensuras.* Papias. *Abax, & Abacus: tabula in qua viridi puluere formæ depinguntur.* Barthius pro *viridi* legit *viradij*. sed nil mutandum. *Puluis viridis* est quem *hyalinum* vocat Marcianus Lib. VI. & ibid. (si memini) in princip. *glaucum puluerem* Gloss. Vindocinens. M S. *Viridis, glauca.*

Aduers 3.3

Puluisculo.] suprà. *Candificum, nobilem puluisculum.* Onomast. Vet: *Puluisculus*, κονίσαλος.

Teterrimum os tuum à Thyesta Tragico demutet.] Ni Thyestis vomitum respiciat, non capio. videsis Eustath. ad Iliad. Ϛ. & ο. Etymologus. Ἔμεια, τόπος ἐστὶ Μυκηνῶν παρὰ τὸ ἐμῶ &c. λέγεται δὲ, ἐπειδὴ ἐκεῖ ἔμεσεν ὁ Κέρβερος ἀνελθὼν ἐκ τοῦ ᾍδου: ἢ ἐπειδὴ ἐκεῖ ἔμεσεν ὁ Θυέστης φαγὼν τὰ τέκνα αὐτοῦ. Iuuat sanè aliquantillum sententiam hanc quod subdit Noster, *vultu distortissimo*; oris enim inter vomendum distorsionem fieri vel vsus probat. Mihi verò, (neque mala fide loquor, aut quo suspicionibus meis viam sternam) istiusmodi allusio frigida, nedum absona est. Noui *Thyestem* fabulam, non Tragœdum. Vide itaque an rectiùs *Thespi* legas, de quo Plutarchus & Laërtius. Hunc ex scriptoribus iis non solùm *Tragicum* fuisse scimus, sed & (quod propius Apuleio accedit) deformitatis captatorem primum. Suidas. πρῶτος μὲν χρίσας τὸ πρόσωπον ψιμμυθίῳ ἐτραγῴδησεν, εἶτα σανδαράχῃ ἐσκέπασεν ἐν τῷ ἐπιδείκνυσθαι, καὶ μετὰ ταῦτα εἰσήνεγκε τὴν τῶν προσωπείων χρῆσιν. Horatius.

Art Poët.

Ignotum Tragicæ genus inuenisse Camenæ,
Dicitur & plaustris vexisse Poëmata Thespis,
Quæ canerent agerentque peruncti fæcibus ora.

Plura Casaub. de Satyr. Poës. Lib. 1. cap. 5. fuit & *Thespis* Co-

pis Comicus quidam, de quo in Vesp. Aristophanes.

A Thyesta Tragico.] Satis hæc lectio facit Bourdelotio, ni toleretur tamen, *Thyade Tragicâ scribenti.*

Sulcos rugarum.] Ouid. -------

Sulcauitque cutem rugis. -----

Claudian I. in Ruffin. -------

Rugisque seueras ----- *Persulcata genas.* -------

Idem in Eutrop. I. ------- *Sulcisque genarum*

Corruerat (malim *aruerat*) *passa facies rugosior vua.*

Virgil. ------- *Frontem rugis arat.* ------ D. Hieron. *Arata rugis frons.* Plaut. Bacchid. ------ *Frontem consulcare.*

Distortissimo vultu tuo.] Bene *distorte* vocat, quod iam ante *Tragico* adsimilauit. Clemens Pædag. Στόματι τραγικῶν δίκην διελκομένῳ. Varroni *Facies meandrata*, ταφῇ Μενιπ. Accius apud eund. VI. de Ling. Lat. *Personæ distortæ oribus, deformes, moriones.* Huius generis est sigillum istud



Ex antiquaria penu Cl. Bourdelotij deprompt ũ m. Nec abeunt illa *μορμολυκεῖα* olim in anteludijs pomparum exhibita, nonnullis riſui excutiendo, alijs incutiendo timori. *matticos*, & *manducos* veteres vocauerunt; homines nempe magnis malis dehiſcentes, magnumque dentibus ſtrepitum facientes, mentio apud Iuuenalem, Prudentium, necnon alios, Lucian. περὶ ὀρχησ. Στόμα κεχηνὸς

παμμέγα, ὡς καταπιόμενον τοὺς θεατάς. Eiuſmodi ludicram effigiem inuulgauit Pignorius, quam & nos ponere voluimus cælo nitidiore fictam.

Comment. de Seruis



A probatore obſtitit.] Multa de loquendi forma hac Gentilis, quæ vtinam loco opportuniore docuiſſet nos: placet lectio ab has literas bene docto Ol. Grotio ſuggeſta, *ab opprobatore obſtitit* quam etiam probe fulciunt quæ loquuntur heic.

Potius duxi mea peccata tegere, quam aliena indagare] D. Hieron. ad Auguſtin. *Sufficit mihi probare mea, non carpere* Pag. 20.

aliena. Phœbad. contr. Arrian. *Sufficit conscientiæ puræ tenere quod credit, æstimanti fore rectius tueri propria, quam extranea & aliena discutere.* Optat. Mileuit. cont. Donatist. Lib. 7. *Satis sit homini si de peccato suo reus non sit, quàm vt de alieno iudex esse desideret.*

Tegere.] Lipsius *degere* ἀρχαϊκῶς, pro *minuere*, vt apud Plautum & Nonnium: in quam abit etiam Pontatanus scripturam Analect. Lib. 3. cap. 1. Ego vulgatam fero non illibenter.

Qui forte constitit &c.] *Constitit* est *consistit* vt. l 98. D. *de solution.* Et *constiteremus* pro *consisteremus* l. 26. D. *de negot. gest.* Eadem Noster affiguratione Miles 8. *Inuadit, ac superstitit sicarium,* nam quod in cusis legitur, *supersistit,* reiculum puto.

In propatulo & celebri.] Supra, *In propatulo & conspicuo:* infrà, *Nil clanculò, sed omnia in propatulo ago.* Cicero Verr. 4. *In aperto & propatulo loco.*

Ego adeo seruior: tu an habeas; &c.] ita edit. Casaubon. nulla sententia· scribendum *seruos*, vt & in Codice Florent. legitur.

An ipse mutuarias operas cum vicinis tuis cambias.] Hoc enim moris fuisse cum ex aliis, tum ex Gellio patet, Lib. 2. cap. 29. in Æsopi Apologo. *Fac amicos adeas, & roges veniant, operamque mutuam dent, & messem hanc nobis adiuuent.* (quo loci iniquè τὸ *adiuuent* quidam proturbare adorti sunt, quo nil signantius potuit de multitudine efferri. Noster infrà, *An adiutorio multitudo eorum necessaria fuit?*) Porro prædictæ sententiæ non absimilia hæc Varronis περὶ Αφροδιτ. *Vtrum mercedem accipit is, qui meas venit Segetes vt sarriat, an ego ab illo.* hinc *mercenarij* isti, *metelli* dicti. Gloss. à Vulcanio editæ, *Metellus*, μίσθιος. Gloss. MS. Claud. Puteani: *Metellus, mercenarius, à metendo.* Et verum hoc etymon putem, quidquid apud Festum lego.

Cambias.] V. de ista voce Casaub. Not.

Tres Deæ manumisisse.] Cum tam frequens in veterum libris *manumissionis* mentio occurrat, quamque vario ac

multiformi ritu fieret, non obſcurè innoteſcat nobis, vnicum eius (ſi tamen eius,) veſtigium è lapidibus extat. Nos id ex fide Iacobonij, non indocti hominis, heic appictum imus.



Vſus ſum temperamento ſermonis , dubitationis indice: anſam dat ſchema illud cernuum & procumbens,de quo nil vſpiam legi in hoc ritu , neque video quid obſtet quo minus flagrionem imaginemur : fugæ vel noxæ ſeruum pænas luentem·vt non abſimili lapide iſto Arundeliano:



talis enim argumenti conijcio eſſe ex toroſioris figuræ niſu, abſque quo non ineptè inſpectionem muliebris mancipij præferret; certè virile non eſſe putem vel ex corporis filo.

Intergarritis.] Suggerit è MSS. Colujus, *interrogatis*, probat hoc Meurſius, vt ſit *interiectis*: ſic pro *ſubiecta*, *ſurrogata*, &c.

Imperatores Pop Rom. paucitate ſeruorum gloriatos.] Quod Noſter adſignat modeſtiæ Romanorum Imperatorum, verius alij Veterum parſimoniæ, qui Legatis & Imperatoribus non alium famulitii modum ſtatuerunt. Ideo M. Cato ſenior quum Hiſpaniam regeret, intra Legatis præſcriptum numerum remanſit. Valer. Max. Lib. 4. Cap. 3. Nec maiorem habuit Cæſar quum Britanniam oppugnaret, vt ex Cotta eius Legato in Lib. de Repub. Rom. refert Atheneus Lib. 6. cap. 8. Ἰούλιος δὲ ὁ Καῖσαρ ὁ πρῶτος πάντων ἀνθρώπων περαιωθεὶς ἐπὶ τὰς Βρεττανίδας νήσους μετὰ χιλίων σκαφῶν, τρεῖς οἰκέτας τοὺς πάντας συνεπήγετο, ὡς Κόττας ἱστορεῖ ὁ τότε ὑποστρατηγῶν αὐτῷ, ἐν τῷ περὶ τῆς Ῥωμαίων πολιτείας συγγράμματι. Neglectam hanc regulam paulò priùs deprehendo apud eundem. Σώφρονες δὲ ἦσαν, καὶ πάντα ἄριστοι οἱ ἀρχαῖοι Ῥωμαῖοι· Σκιπίων γοῦν ὁ Ἀφρικανὸς ἐπίκλην, ἐκπεμπόμενος ὑπὸ τῆς συγκλήτου ἐπὶ τὸ καταστήσασθαι τὰς κατὰ τὴν οἰκουμένην βασιλείας, ἵνα τοῖς προσήκουσιν ἐγχειρισθῶσιν, πέντε μόνους ἐπήγετο οἰκέτας. huius rei teſtes Polybius & Poſidonius: & quod de Catone diximus, quinarium ei numerum ſeruorum in Hiſpania degenti, Plutarchus aſsignat in vita eius, & Scipioni in Apophthegmat. ſed inter Valerium & Græcos nullum diſsidium, quippe ex his quinque duo συνοδοί, ſeu comites, nam legitimus ſeruorum numerus ternarius. Et quidem Vlpian. l. 40. D. *de verb. ſignif.* hunc numerum non aſsignauit, ſed indicaſſe ſatis habuit, cum ait, *Vnicus ſeruus familiæ appellatione non continetur, ac ne duo quidem*, intelligit tres ſatis ad familiam eſſe. cur autem numerus ternarius in famulitio quæſitus, non vna ratio reddi poteſt,

test, quam paulò ante tangit Apuleius ex Philoſophorum penu. Decretum illud Pythagoræ, τὸ πᾶν καὶ τὰ πάντα τοῖς τρισὶν ὥρισται, de quo Ariſtoteles in de cælo L.1.cap.1. qui opinioni Pythagoricæ rationem adnectit, τὰ γὰρ δύο ἄμφω λέγομεν, καὶ τοὺς δύο ἀμφοτέρους· πάντας δὲ οὐ λέγομεν, ἀλλὰ κατὰ τῶν τριῶν ταύτην τὴν προσηγορίαν φαμὲν πρῶτον. Cur autem familiam conſtare ternario numero voluit Vlpianus ex Philoſophorum dogmate, ac priſca Iuriſprudentia, & Neratius ex eodem fonte *Collegium* cõſtare tribus, apud Marcell. l. 85. *D. de verb. ſig.* hæc ratio poſſit eſſe, quod Collegium eſt vniuerſitas, vniuerſitas autem eſt multitudo, ternarius verò numerus eſt multitudinis, vt binarius paucitatis; itaque ternarius numerus eſt collegij & vniuerſitatis. eadem vſus ratione videtur Leo Imper. Nouell. 14 Monaſterium nempe non poſſe eſſe ſine tribus Monachis, cauſamque adiungit, φαμὲν οὖν ὡς ἐπεὶ τὸ θεῖον ἐπεῖπε στόμα, ὅπου εἰσὶ δύο ἢ τρεῖς συνηγμένοι ἐν τῷ ἐμῷ ὀνόματι, ἐκεῖ εἰμι ἐν μέσῳ αὐτῶν, ἐγχωρῆσαι τὸ ἐλάχιστον τρισὶν ὑπαρχεῖν τὸ μοναστηρίου κλῆσιν ὑποδυόμενον ἔργον. Eruditiſſimus tamen iuris interpres Vlpianum obſtare ſibi contendit ad *Tit. 6. §. 3. Lib. 5. Sentent. Pauli.* vult enim l. 7. quod cuiuſque vniuerſitatis eſt, vniuerſitatem eſſe, etſi reciderit ad vnum, ſi quidem ibi Vlpianus agit non de numero conſtituente familiam, ſed de benigna interpretatione. Verum non ſolum Vlpianus à ſe, ſed etiam à Paulo diſſentire videtur. hic enim cit. loc. familiæ nomine ait duos ſeruos etiam contineri. non loquitur Paulus, vt nec Vlpian. cit. loc. de numero conſtituente familiam, ſed de conueniente ad interdictum Prætoris *Vnde vi.* In huius quippe interpretatione familiam faciunt, non tres ſolum, ſed etiam duo, imò & vnus, vt apud eund. Vlpian. patet. l. 1. §. *famil. de vi*, & l. 195. de *verb. ſig.* ad quod eximiè facit locus Ciceronis Orat. pro Cælio. Ita è ſchedis ſuis Cl. Bourdelotius diſſerit: tam prolixę & vberi obſeruationi addere quid, ineptire eſſet.

Adoreis.] Miles 7. *Domi, forisque fortibus factis adorea*

plenæ gloriarer. Gloss. δόξα, ἡ ἀπὸ τοῦ πολέμου, *adorea.* Gloss. Bourdelot. MS. *Adoream, laudem bellicam.* Gloss. Puteani. MS. *Adoreis, Victoriis.*

Qui ter triumphum vna porta egerit.] Ex his vnum de Lucanis fuisse Casaub. ait: Cicero tamen, vt & Noster heic, pro Lucanis Pyrrhum nominat. Equidem triumphatos eos non puto, de iis ouauit tantum. V. Fast Sigon.

Cat. Maior.

Oppertus.] Rom. edit. *oportuit*, inde Meurs. *operiuit*. Exhibent MS. quidam *operatus*.

Quum iam] Malè heic si vnquam, eximius castigator, qui quum in principibus editt. legeretur *quoniam*, exturbauit è contextu suo adeò antiquam ac probam notionem. eiusdem culpę affinis etiam Schottus. *Quoniam* valet *postquam*, vt sępissimè apud Plautum. Gellius (vt in antiquis quidem, & melioris notæ codicibus) *Polus vnicè amatum filium morte amisit, cum luctum quoniam satis est visus eluxisse, redit ad quæstum artis.* Vide Festum.

Obser. Human. 5. 2.
Lib. 7. c. 5.

Villam publicam.] δημόσιον καταγώγιον; quod in nummo T. Didij apud Vrsinum vidisse videor. Straboni Libro 5. δημοσία ἔπαυλις. Positam in Campo Martio docet P. Victor 9. Region. Vsus eius ad excipiendos Magistratus in Prouincias euntes, Legatosque exterarum gentium peregrè aduentantes. Liuius 43. *Macedones deducti in Villam publicam extra vrbem, ibique ys locus, & lautia præbita.* Et 39. *Quibus vetitis vrbem ingredi, hospitium in Villa publica, Senatus ad ædem Bellonæ datus est.*

Iussisse duos pueros in foro de Mensa emi.] Similis disciplina illa Gręca, de qua Vlpianus ad Demosth. Δούλους εἶχον δημοσίους οἱ Ἀθηναῖοι ἀπὸ αἰχμαλώτων ποιήσαντες, καὶ ἐδίδασκον τούτους γράμματα, καὶ ἐξέπεμπον αὐτοὺς ἐν τοῖς πολέμοις μετὰ τῶν ταμιῶν, καὶ τῶν στρατηγῶν, ἵνα ἀναγράφοιεν τὰ ἀναλισκόμενα.

Olynth. 2.

De mensa emi.] Miles. 8. *Collatitia stipe de mensa paratus.* nec aliud *mensa ista* quam πρατὴρ λίθος. Cicero in Pison. *Duos de lapide emptos.* Pollux. Lib. 7. Ἐφ᾽ ὃ δὲ βαίνοντες οἱ

δοῦλοι πιπράσκονται, τοῦτο τράπεζαι Ἀριστοφάνης καλεῖ.

Paupertas olim Philoſophiæ vernacula.] Marcianus de παιδείᾳ germanâ Philoſophiæ. *Hæc vtpote talentorum conſcia in omnium rara congreſſus, nec cuiquam facile primores ſaltem vultus ſuperba committens, plerumque tamen adhæſit arriſitque pauperibus; magiſque illis quos aut pedibus nudos, aut intonſo crine hiſpidos, aut ſordenti conſpexit pallio ſemitectos.* *Lib. 6.*

Sobria.] Claudian. *4. Conſul. Honor.*

Diſcitur hinc quantum paupertas ſobria poſſit.

Æmula laudis.] Lipſius *Æmula lautis.*

Aduerſum diuitias poſſeſſa.] Caſaub. *Aduerſum diuitiis profeſſa*, hoc ſenſu; paupertatis profeſſionem eſſe virtutem amare & ſequi, contra quàm ſolent diuites. Meurſius *Aduerſa diuitiis poſſeſſu*. VVouuer. locum refingit, adi notas eius.

Habitu ſecura] Iſid. Pelus. Lib. 2. Epiſt. 257. Πενία ἀσφαλείας ἁπάσης, καὶ μετριοφροσύνης ὑπόθεσις. Monoſt. de morib.

Diuitiæ trepidant, paupertas libera res eſt.

D. Chryſoſt. in Act. Homil. 13. Ο μὲν πλούσιος οὐδὲν ἕτερον εἶναί μοι δοκεῖ, ἀλλ' ἢ πόλις ἀτείχιστος ἐν πεδίῳ κειμένη, πολλαχόθεν ἐπιτασσομένη τοὺς ἐπιβουλεύοντας. ἡ δὲ πενία φρούριον ἀσφαλὲς χαλκῷ περιβεβλημένον πολλῷ, καὶ δύσκολον ἔχον τὴν ἄνοδον.

Conſilio beneſuada.] Itane? malè tum *maleſuada* audit apud omnium fere gentium ſcriptores. at veniam non grauatè damus: è cauſa, non ſenſu loqueris.

Neque vult vllas, neque poteſt.] Infrà. *Latine enim neque vult, neque poteſt.* Pag. 22.

Inter illuſtres viros diuites.] Non omnia ſana heic præſto, forſan abundauerit quid.

Omnium artium repertrix.] Theodoretus περὶ προνοίας. Orat. 6. Ο δημιουργὸς τέχνης πανταδαπαῖς τὴν πενίαν ἐκόσμησεν. Plautus Stich.

Illa omnes artes perdocet vbi quemque attigit.

Xenophon eam Σοφίαν αὐτοδίδακτον vocat, & B. Iſidorus *Lib. 2.*
πάσης ἐπιστήμης τε καὶ τέχνης μητέρα. Paria Ariſtophan. *Epiſt. 118.*

Πλουτ. 2. 5. Himerius apud Phot. Cod. 243. Demosth. contr. Eubul. Manil. 1. Claudian. rapt. Proserp. 3. Et hæc obuia passim. illud non item, *Artes Paupertatemque* Gaditanos ijsdem aris coluisse. Ælian. περὶ προνοίας, apud Eustath. in Dionys. Philostrat. de vita Apollon. 5. 1.

In Phocione benigna.] Ita Plutarchi χρηστὸν vertit Apuleius, & D. Pauli χρηστότητα D. Hieronymus. notior tamen in hac historia *bonitatis* vox, quidni & aptior? *benignum* nescio quid facilitatis habet, quod abhorrebat à Phocionis moribus. *bonitas* eius erat austera probitas, & integritas.

Ad Galat. v.

Proque eo in hodiernum Dijs immortalibus sympuuio, & catino fictili sacrificat.] Porphyr. περὶ ἀποχ. διὰ τοῦτο καὶ τοῖς κεραμείοις ἀγγείοις, καὶ τοῖς ξυλίνοις, καὶ πλεκτοῖς ἐχρῶντο, καὶ μᾶλλον πρὸς τὰς δημοτελεῖς ἱεροποιίας, τοιούτοις χαίρειν πεπεισμένοι τὸ θεῖον.

Catino fictili.] Nonnius in *Saminm. Oratio extat Lælij, quam sympuuia Dijs immortalibus grata sunt. Samiaque vt heic vocat Capedines.* Eadem & Cicer. 3. de Nat. Deor. Ergo *Capedines* eadem *Catinis* videntur.

Si modo iudices de caussa ista sederent.] Propriè *sedere*, est hoc enim Iudicantis. Cicero pro Rabyr. *Vos ijdem in Gabinium Iudices sedistis.*

Propert. ------ *Posita iudex sedet Æacus vrna.*

Quorum filiæ ob paupertatem &c.] Senec. ad Heluiam cap. 12. *Beatioresne istos putas quorum Pantomimæ decies sestertio nubunt, quam Scipionem, cuius liberi à Senatu in dotem æs graue acceperunt?* Ammian. Marcellin Lib. 14. *Dotatur ex ærario filia Scipionis, quum nobilitas florem adultæ virginis, diuturnam absentiam pauperis erubesceret Patris.* Locus non constat. Scribe, *quum nobilitas & flos adultæ virginis.* &c. adde his quæ Gentilis notat.

Portantes gloriam domesticam, pecuniam publicam.] Valerius L. 4 c. 4. *Ideò Senatus Fabricij, Luscinij, Scipionisque filias ab indotatis nuptijs liberalitate sua vindicauit: quoniam paterna hæreditati præter opimam gloriam, nihil erat quod acce-*

ptum referrent. Plutarchus Apophtheg. Lacon. Παρθένος πενιχρὰ ἐρωτηθεῖσα τίνα δίδωσι τῷ γαμοῦντι προῖκα, τὴν πάτριον εἶπε σωφροσύνην. Bellè. *Optima* enim *hereditas, omníque patrimonio præstantior, à patribus traditur liberis, gloria virtutis, rerumque gestarum.* Verba Ciceronis 1. de Offic.

Attilius Regulus, cuius agellus &c.] Valerius. *Attilius Regulus quum Pœnos in Africa funderet, ad Senatum scripsit mercenarium suum discessisse, & ab eo desertum esse rus, quod Senatui publicè curari dum abesset Regulus, placuit. tanti fuit seruum non habere, vt colonus eius Populus Romanus fieret.*

μένος. Πρειγηία δὲ ἂν Καρτερίαι ἔχη πορῆιαν, παρεχόντων οἱ μὲν Ἱεραπύτνιοι Κόσμοι τοῖς Πελανσιεῦσι, οἱ δὲ Πελαίσιες Κόσμοι τοῖς Ἱεραπυτνίοις· αἰ δὲ μὴ παρέχωιεν, ἀποτεισάντων οἱ ἐπίδαμοι τῶν Κόσμων ταῖ Πρειγείαι στατῆρας ... Ὁ δὲ Κόσμος τῶν Ἱεραπυτνίων ἑρπέτω ἐν Πελανσίοις ἐς τὸ ἀρχεῖον, καὶ ἐν ἐκκλησίαι καθήσθω μετὰ τῶν Κόσμων. ὡσαύτως δὲ καὶ ὁ τῶν Πελανσίεων Κόσμος ἑρπέτω ἐν Ἱεραπύτναι ἐς τὸ ἀρχεῖον, καὶ ἐν ἐκκλησίαι καθήσθω μετὰ τῶν Κόσμων. Ἐν δὲ τοῖς ΗροικΟΙς, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἑορταῖς, οἱ παρατυγχάνοντες ἑρπόντων παρ' ἀλλάλος ἐς ἀνδρήιον, καθὼς καὶ οἱ ἄλλοι πολῖται. Αναγινωσκόντων δὲ τὰν στάλαν κατ' ἐνιαυτὸν οἱ τόκα ἀεὶ κοσμόντες παρ' ἑκατέροις ἐν τοῖς Ὑπερβωίοις, καὶ προπαραγγελλόντων ἀλλάλοις πρὸ ἁμέραν δέκα ἢ κὰ μέλλοντι ἀναγινώσκειν. ὁποῖοι δὲ κὰ μὴ ἀναγνῶντι ἢ μὴ παραγγήλωντι, ἀποτεισάντων οἱ αἴτιοι τούτων στατῆρας ἑκατόν. οἱ μὲν Ἱεραπύτνιοι Κόσμοι τῶν Πελανσίεων ταῖ πόλει, οἱ δὲ Πελανσίεες Ἱεραπυτνίων ταῖ πόλει. Αἰ δέ τις ἀδικοίη τὰ συγκείμενα διαλύων, ἢ Κόσμος, ἢ ἰδιώτας, ἐξέστω τῶι βωλομένωι δικάξασθαι ἐπὶ τῷ κοινῷ δικαστηρίῳ, τίμαμα ἐπιγραψάμενος τᾶς δίκας κατὰ τὸ ἀδίκημα ὅ κὰ τις ἀδικήσηι, καὶ αἰ κὰ νικάσηι, λαβέτω τὸ τρίτον μέρος τᾶς δίκας ὁ δικαξάμενος, τὸ δὲ λοιπὸν ἔστω τᾶν πολέων. Αἰ δ' ἐπὶ Θεῶν βωλομένων ἕλοιμεν ἀγαθὸν ἀπὸ τῶν πολεμίων, ἢ κοινᾶι ἐξοδεύσαντες ἢ ἰδίαι τινὲς παρ' ἑκατέρων, ἢ κατὰ γᾶν ἢ κατὰ θάλασσαν, λαγχανόντων ἑκάτεροι κατὰ τὸς ἄνδρας τὸς ἑρπόντας, καὶ τὰς δεκάτας λαμβανόντων ἑκάτεροι ἐς τὰν ἰδίαν πόλιν. Ὑπὲρ δὲ τῶν προγεγονότων παρ' ἑκατέροις ἀδικημάτων, ἀφ' ὧ τὸ κοινοδίκιον ἀπέλιπε χρόνω, ποιησάσθων τὰν διεξαγωγὰν οἱ συνενιπαντι κατεῶνι Κόσμοι, ἐν ὧι κὰ κοινᾶι δόξηι δικαστηρίῳ ἀμφοτέραις ταῖς πόλεσι, ἐπ' αὐτῶν κοσμόντων, καὶ τὸς ἐγγύος καταστασάντων ἀπὸ τούτων, ἀφ' ἇς κὰ ἁμέρας ἆς ΤΛΥΤα τεθηίεμμηνι. Ὑπὲρ δὲ τῶν ὕστερον ἐγγινομένων ἀδικημάτων προδίκαι μὲν κείσθων, καθὼς τὸ διάγραμμα ἔχει. Περὶ δὲ τῶ

δικαστηρίῳ, οἱ ἐπιστάμενοι καθ' ἐνιαυτὸν παρ' ἑκατέροις Κόσμοι, πόλιν στανύεσθων ἄγ καὶ ἀμφοτέραις ταῖς πόλεσι ΙΔΟξηι ἐξαῖ τὸ ἐπὶ κριτήριον τελέται, καὶ ἔγγυος καθιστάντων ἀφ' ἆς καὶ ἁμέρας ἐπιστᾶντι ἐπὶ τὸ ἀρχεῖον ἐνδυμήνω.. Καὶ διεξαγόντων ταῦτα ἐπ' αὐτῶν κοσμόντων κατὰ τὸ δοχθὲν κοινᾷ σύμβολον. Αἱ δὲ καὶ μὴ ποιήσωντι οἱ Κόσμοι καθὼς γέγραπται, ἀποτισάτω ἕκαστος αὐτῶν στατῆρας πεντήκοντα. οἱ μὲν Ἱεραπύτνιοι Κόσμοι Πριανσίων τῇ πόλει, οἱ δὲ Πριάνσιοι Κόσμοι Ἱεραπυτνίων τῇ πόλει. Αἱ δ' ἔτι καὶ δόξηι ἀμφοτέραις ταῖς πόλεσι βουλευομέναις ἐπὶ τῷ κοινῷ συμφέροντι διορθώσασθαι, κύριον ἔστω τὸ διορθωθέν. Στασάντων δὲ τὰς στάλας οἱ ἐνεστακότες ἑκατέρηι Κόσμοι ἐπ' αὐτῶν κοσμόντων, οἱ μὲν Ἱεραπύτνιοι ἐν τῶι ἱερῶι τᾶς Ἀθαναίας τᾶς Πολιάδος, καὶ οἱ Πριάνσιοι ἐν τῶι ἱερῶι τᾶς Ἀθαναίας τᾶς Πολιάδος. ὁπότεροι δὲ καὶ μὴ στάσωντι καθὼς γέγραπται, ἀποτισάντων τὰ αὐτὰ πρόστιμα, καθὼς καὶ περὶ τῶν δικαίων γέγραπται.

Iam (qualemcumque eam) dabimus verſionem noſtram: in qua ſi fallimus nonnunquam, impetrabunt veniam moleſtiæ, cum quibus plurimum in hoc genus memoriis concertandum eſt. hæ apud bonos inquam, nobis præſidio erunt; ſciolorum enim, (qui quorum rationes non capiunt, contorta ac vituperanti nare ſubſannant: & quum verum afferre non poſſunt, indicare falſum pro magno habent,) bonam, malamque gratiam iuxta æſtimandam ducimus. non adeò iniqui erimus pudori noſtro, vt quid blatterent penſi habeamus.

Bonus Genius.

Cum bona Fortuna, & ſalute. Coſmi magiſtratum cum Populo in Hierapytna gerentibus Hermeo . . . . imaly: in Prianſio Sy . . . . chimero: menſe Dromæo; conſenſu mutuo hec pacti ſunt Hierapytnij & Prianſij, inſcripti olim quidem columnis propriè Gortynijs & Hierapytnijs, iure conſor-

consortij autem etiam Priansijs erectu, proque amicitia, bellandi societate, iuramentisque in ijsdem stelis contractis, qui ex vtraque parte & Vrbem incolunt, & in Territorio dominantur, huiusmodi fœdus conuentumque in perpetuum inierunt. Hierapytnijs nempe & Priansijs ciuitatum, connubiorum, & possessionum iura mutua fore, diuinorum item ac humanorum omnium communionem, ijs qui alterutrius populi indigenæ erunt; vendentes etiam & ementes, fœnerato dantes & sumentes; aut quodcunque commercij genus exercentes, habituros ius ciuium vtrinque, prout antea sancitum est. Hierapytnio seminare apud Priansios licitum esto: Priansio apud Hierapytnios idem iuris esto, dummodo vt reliqui ciues tributum penderit, secundum leges vtrinque constitutas. Vter in alterius vrbem intulerit quid, eius importandi atque adeo exportandi nomine nil quidquam soluat, nec illorum quæ ab eo terra aut mari prouenire poterunt. Pro ijs autem pro quibus mari exportandis pendi vectigal solet, pro ijsdem inuehendis soluatur etiam, prout ab vtrisque conuentum est. Hæc qui seruassit, immunis esto: qui violassit, soluat is pœnæ nomine quantum vtrinque leges constitutæ iubent. Ærarium quidquid opus ad Legationes habessit, præbento Cosmi Hierapytniorum Priansijs: vicissim Cosmi Priansiorum Hierapytnijs; qui nec fecerint, ciues eorum Ærario stateres decem soluunto. Cosmus Hierapytniorum in Priansiorum Curiam intrandi ius habeto, sedendique cum eorum Cosmis in concilio; nec minus Cosmo Priansiorum apud Hierapytnios ius esto intrandi in eorum Curiam, atque inter Cosmos sedendi. In Heroicis & aliis festis qui alterutrinque superuenerint, ad sacras epulas æquè ac loci ciues intranto. Columnam pro tempore vtrinque Cosmi existentes in Hyperboiorum festo quotannis legunto, decemque antequam legant dies mutuò nuncianto. qui non legerint, vel nec indicassint, alteris stateres centum soluunto. Si quis hæc pacta imminuerit, siue is Cosmus, siue priuatus fuat, ei ad commune forum qui voluerit diem dicito: litis autem secundum noxam commissam æstimationem facito: si vicerit multæ trientem ca-

pito, reliquum ciuitatum esto. Porrò si qui publicis priuatisuè auspicijs ex vtrauis parte expeditiones terra aut mari fecerint, virtute Deûm boni quid ab hostibus retulerint, sortiuntor vtrique pro numero exeuntium, decimasque in ciuitatem suam vicissim ferunto. Quod spectat damna atque iniurias hinc inde factas, ex quo promiscua iura nostra exoleta sunt, compensanto ea cum Populo Communitatum, Cosmi antequam magistratu abeant, foro quo videbitur cunque ambabus Ciuitatibus: nec non & vades eo nomine exhibento, abusque die ipsa qua hæc pacti sumus. Si posthac damni quid illatum fuerit, Patroni adsciscuntor, prout in Decreto publico statutum est. Forum autem qui quotannis vtrinque Cosmi erunt, eo loco stabiliunto, quem exhinc vtraque Ciuitas in examen delegerit: insuper sponsores danto ex quo primum Curiæ præfuerint .... hæc componentes omnia dum in magistratu sunt, prout vterque Populus auctores fuerint. Cosmi secundum scripta heic si non fecerint, soluunto singuli eorum stateres quinquaginta: Hierapytnij Priansiorum ciuitati, Priansij Hierapytniorum. Porrò si pro bono communi vtrique quid mutandum censuerint, quidquid statuerint denuò, ius ratumque esto. Pilas autem qui ex vtraque parte impræsentiarum Cosmi sunt, in Mineruæ Poliadis Fano antequam magistratum exuant, collocanto. Vtri non erexerint, tantum ijs damni esto, quantum statutum supra est, vbi de controuersijs.

Aliud huius fœderis fragmentum paulo antiquius, extat apud Gruterum etiam Pag.505. Eius etsi anterior pars non compareat, superest in altera tamen haud pænitendum quid. sub nostri marmoris initium iuramenta occurrunt mutuò concepta: horum in fragmento eo specimen absolutum visitur, videturque à Priansiis præstitum Hiepytnijs. Superest vt aliquid moneam de versione nostra, quæ si non aliquà constaret, otiosa foret. Habe ergo, at quam potest breuissimè, vel enim tribus (vt aiunt) lineis: nam hercle diu est quod extra orbitam sumus.

Lin. 1. Θεὸς ἀγαθός. Ἀγαθᾷ τύχαι, &c.] Potui ſpecioſius vertere, *Dijs bonis fauentibus.* Et continuò, *Quod fauſtum, fælix ſit, ac ſalutare.* Volui ſimplicius autem, idque ob ἀγαθοῦ δαίμονος (heic ſub Θεοῦ nomine expreſſi) & ἀγαθῆς τύχης contubernium; quod me docuit Cl. Seldenus pag. 130. ad marmora Arundell.

Lin. 2. συνεικαντὶ] Compoſitum alibi nuſquam lectitatum : occurrit infrà etiam lin. 59. verti vtrobique *cum populo* : & vt arbitror, toleranter. ſtatus Democraticos innui non eſt vt dubitemus.

Lin. 3. μηνὸς Δρομήιω] Ita diſiunctim lego, ex ſolemni forma poſt Magiſtratuum nomina menſem appingendi. Menſis *Dromeus* haud an alibi occurrat, ſcio: nec eò minus tamen inter Cretenſes locum occupaſſe putem, quam *Boedromionem* menſem inter Atticos. *Menoſdromeus* autem pro appellatiuo ſumptum, inconditum quid, vel enim barbarum ſonaret, remotumque quantum ego iudico, ab omni conſuetudine.

Lin. 6. τεθημεμβίοις.] Ita eam lacunam implendam cenſui, cum ob ſententiam quam ſubeſſe ſuſpicor, tum ob id quod infrà lin. 62. lego.

Lin. 16. κυρίους ἦμεν.] Non video quî hoc trahi ad quæ ſequuntur poteſt, eſt igitur æquum vt ad præcedentia feramus. Si vertiſſem *Dominos, Patronos*, aut quid eiuſmodi, neque mihi, neque vlli ſenſui ſatisfactum iſſem. verti, *ius ciuium habituros*, non inconuenienter. ſi tamen hoc minus placuerit, potes ita, *pro indigenis habendos*: nempe ac ſi κύριοι opponanrur ἀλλοδαποῖς. nec moreris vt hæc notio inſolentior ſit: benè habet ſi præſenti loco non inconcinna ſit. Sciunt doctiores vſquequò heic progredi licet: ſcripta hoc genus non intra Lexicorum ſepta coercenda: ſatiſque de Interpretis fide ac iudicio conſtare, qui ſciat vbi legem ſequi, vbi dare oporteat.

Lin. 24. ἂν δὲ καὶ ἀπόδδῶι &c.] Mihi quæ præcedunt proximè, hunc locum impeditiorem reddunt. ſatis non

facit mihi verſio mea, quia non ſatis ſententiam video; & hoc ſponte fateri malui quam ab aliis reuinci.

Lin. 27. εἰ τὶς καὶ νε... μ... ελης ἔςω.] Verti ac ſi legerem ἀτελὴς, at nil egi idcircò: çardo ſententiæ enim vertitur in præcedenti voce, cuius etſi initium ſuperet in τῷ νε particulâ, eius iacturam tamen non potui ad libidinem ſarcire: ſenſum quem potui interim loco commodiorem finxi.

Lin. 28. τὰ ἐπιτίμια σι.. μῶνος] Verti quaſi ſcalptum fuiſſet, ὁ συνόμῶνος· quum tamen marmor exſcriberem videbatur σι legendum.

Lin. 29. Πρεσγηΐα δὲ ὧν καὶ χρείαν ἔχῃ &c.] Πρεσγηΐαν *Ærarium* verti, ſola ſerie ſequentium nixus, alibi præſidium enim non inuenire potui. Videtur ſimile fuiſſe Atticorum *Prytaneo*, ex quo Legatis dabantur commeatus, quos heic πορηΐου nomine deſignari puto: quod nihilominus verti, *ad Legationes*. ſaluus & ſenſus erit ſi ſic vertas, *Legatis vltrò citrò meantibus ex Ærario Coſmi commeatum præbento*. ego Syntaxi Græcæ me aſtrinxi.

Lin. 31. ἀπολε(ςάιτων &c. τοῦ Πρεσγηΐου ςατῆρας δέκα.] Planè hæc ſcrupulum inijciunt de prioribus, modò ſi eorum is ſenſus quem poſuimus. Multæ cum delicto enim fuiſſet nulla proportio, ſi quod factum tanti conſtaret, infectum tam paruo lueretur.

Lin. 38. ἐς αἰδρηΐον.] *Ad ſacras epulas* verti, ex Ariſtot. Polit. 2. item Athen. Deipnos. 4.

Lin. 40. οἱ τόκαει κοσμέοντες.] Doriſmus, vt ego puto, pro τότε: itaque *pro tempore* verti. τόκα certè ſæpius occurrit, at cum ει in fine, planè quid velit neſcio, niſi ſi incognitus quis Doriſmus ſit. legebam ideò aliquando τὸ κ' ἀεὶ: *pro tempore, & in poſterum ſemper*: ſingulis annis nempe. τὸ apud Dores pro τότε frequens etiam.

Lin. 59. συνευςαντὶ κοινέων] Verti, *cum Populo Communitatum*. κοινέων duplici Doriſmo puto κοινῶν eſſe.

Lin. 62. ἆς, τοῦ δὲ τεθνὴς μυλων] Ita ſuppleui, fauens potius coniecturæ meæ, quam quod veſtigia marmoris

plene assequutus sum: nam profectò exscribere videbar mihi ὡς τ... ἀαπεθνιεμμένωι.

Lin. 63. προδίκωι] Potui *arbitrum*, placuit *Patronum* vertere; neque tam priuatum quam publicum, siue *Ciuitatis defensorem* subintelligi velim.

Lin. 67. δόξηι ἐξᾶς τὸ ἐπὶ &c.] Ita hæc supplenda censui & distinguenda: ἐξᾶς Dorismum puto pro ἐξῆς esse.

Lin. ead. πελέτω.] Alius Dorismus pro πελάζῃ, h. e, δοιάζῃ. itaque fidenter verti *deligere*.

Lin. 68. ἐνδυμνω.] Videor mihi difficiliores locos quosdam intellegisse, & tamen heic non potui expedire me. deest in fine apex quispiam, at hoc minimè negotium facessit. Planè nil habeo quo hanc vocem explicare possim. sensum interdum somniaui istiusmodi esse: *Insuper sponsores danto ex quo primum Curiæ præfuerint, nullibi quam eo foro cogniturum se.* Excutiant doctiores, nos hæc pauca non citra tædium attulimus.

Lin. 82. περὶ τῶν δικαίων.] h. e. τῶν δικῶν. verti *de controuersijs*: nimirum ijs de quibus supra lin. 57. & deincipitibus mentio. è quibus multæ etiam heic non signatæ modus constit..., stateres 50. nempe.

Hactenus de nostra Interpretatione · adieciissemus etiam Notas, ad eorum quæ Historicam partem spectant illustrationem factas: si minus longas eas, & pro vbertate Argumenti, certe præ breuitate nimia non inutiles: At verò multa iam impleuerunt non suum locum; neque vsque adeo Lectori imperabimus, vt & παρέργων appendices obtrudamus. si non possumus non vbique nugones esse, quantum potest, intrà rem erimus. Ergo nunc ad Authorem pergamus.

Leuius vestio minus obsono.] Ausonius.

——— *Tenuem victum habitumque colens.*

Animi vt corporis, sanitas expedita, imbecillitas laciniosa est.] Lactant. Diuin. Instit. L. 7. cap. 1. *Eo fit vt pauperes & humiles Deo credant, (malim, accedant) facilius, qui sunt*

expediti, quam diuites, qui sunt impedimentis plurimis implicati: imo catenati & compediti, seruiunt ad nutum Dominæ cupiditatis, quæ illos inextricabilibus vinculis irretiuit.

Imbecillitas laciniosa est.] D. Hieron. ad Rufin. *Nisi me attenuati corporis vires quadam compede præpedissent.* Fors & Glossarij mens ea, vbi Ποδάγρα, *pedica.* Vide quæ notamus infrà, ad ea *morbo impeditus.*

Velut ad natandum.] Eadem assimilatione Paulinus Epist. 38. *Atque vtinam vel nudis nobis ex istius mundi salo liceat euadere, & in tempore isto quo in fragilitate corporea, & possessionum lubrico, tanquam in nauigij fatiscentis infida compage fluitamus, exuere nos ad enatandum impedimentis angentibus, quasi vestibus madidis: & fidem salutarem qua in virtute Christi Dei, vexillo crucis nitimur, quasi tabulam perfugij meminerimus inuadere.* Et in Polycrat. Sarisburiens. Lib. 5. cap. 17. *Sic omnes post diuitias currunt, ac si alibi laborum requies dolorumque solatium inueniri non posset; ac si naufragi de profundo queant enatare facilius, si prægraui sarcina fuerint onerati.*

Cui quam minimis opus sit, eum esse Deo similiorem.] Scitum Cynicorum. Vide Laertium in Menedemo. Silenus Marco Imperatori apud Iulianum in Cæsarr. Τί ποτε ἐνόμιζες εἶναι τὴν τῶν Θεῶν μίμησιν; ὁ δ' ὅς, δεῖσθαι μὲν ἐλαχίστων. Xenophon memorab. L. 1. Ἐγὼ μὲν νομίζω τὸ μὲν μηδενὸς δέεσθαι θεῖον εἶναι, τὸ δ' ὡς ἐλαχίστων ἐγγυτάτω τοῦ θείου. Eadem in Cynic. Lucianus, & in Proem. Censorinus.

Proinde gratum habitum.] Locus qui multos exercuit, quia in speciem corruptus. Valens Acidalius scribit *Graium habitum*, intelligens clauam & pallium, Philosophorum gestamina. Facilior veniæ locus illi si errasset solus, neque pendulas erroris consequias traxisset alios. Casaubonus hiatum subesse putat, sine MSS. ope non explendum: aut certè *habui* legendum, vt in Fuluij Libro. Sed hoc recedit nimis à vulgata lectione, cuius heic & vbique habenda semper ratio

est. Ego vt ne peccem hoc nomine, retinebo *habitum*, hoc valet *habuisse*, & ita loquutum Valerium ex fide veterum Codd. tradunt Pighius, & Lipsius. Verba eius, *Æquè mitis animus Pyrrhi Regis: audierat quosdam in conuiuio Tarentinorum parùm honoratum de se sermonem habitum.* vbi vulgò malè legitur *habuisse*. Interpres Valeriani γραφὴν veram inculcarunt quidem, de cætero vera necne, non ausi affirmare. Nos in Valerio eam stabiliuimus, in Nostro reuocauimus. Lib. 5. cap. 1.

Rem familiarem largam & vberem, Populo donauit.] Octo Talentum. Plutarch. περὶ τοῦ μὴ δεῖν δανείζ. Laërtius summam memorat maiorem multò. Fusius porrò historiam vide 2. Floridorum. Pag. 26.

Equitibus phaleras.] V. Marcilij Not. ad Persium.

Togam palmatam.] Qualis hæc, quam expressimus è nummo Augusti.



primo Triumphantium, post Consulum & Consularium fuit. Sumebatur autem è Templo Iouis Capitolini. (Liuius Lib. 10. Iuuenal. Sat. x. Ausonius Paneg. Lamprid. in Seuero) quem morem abrogauit Gordianus senior Capitolino teste.

Purgator ferarum.] Nonnulli pessimo exemplo *pugnator* scribunt. Noster in Floridis, *Herculem olim Poetæ memorant, monstra illa immania hominum & ferarum virtute subegisse, orbemque terræ purgasse.* Et statim. *Eam omnes*

pestes mentibus exegit, familias purgauit. Græci cod. argumento ἐκκαθαίρειν. Themist. Euphrad. Orat 2. Τυραννίαν τε ὠμότητα, καὶ θηρίων ἐκκαθαίρειν. Lucian. Deor. Dial. Ἐκκαθαίρων τὸν βίον, θηρία καταγωνιζόμενος.

Paulo prius quam in cælum &c.] Latius in Cynico persequitur Lucianus.

Censum differendum.] Legebam *deferundum.* Gellius Lib. 16. cap. 10. *Tenuissimi pauperrimique erant, neque amplius quam mille quingentûm æris in censum deferebant.*

Idque à me longa peregrinatione, &c.] Tota ex Apollonio, quam sic audi apud Philostratum Τὰ γοῦν πατρῷα (λαμπρὰ δ' ἦν οὐσία) ταῦτα μιᾶς μόνης ἰδὼν ἡμέρας, ἀδελφοῖς τε τοῖς ἐμαυτοῦ ἀφῆκα, καὶ τῶν ξυγγενῶν τοῖς πένησι, μελετῶν που ἀφ' ἑστίας τὸ μηδενὸς δεῖσθαι. ἐάσθω δὲ Βαβυλὼν καὶ Ἰνδῶν τὰ ὑπὲρ Καυκασόν τε καὶ ποταμὸν Ὕφασιν, δι' ὧν ἐπορευόμην ἐμαυτῷ ὅμοιος.

Plerisque amicorum opem tuli. Sueton. Tiber. *Senatorum paucorum inopia sustentata, ne pluribus opem ferret, negauit se alijs subuenturum, nisi Senatui iustas necessitatum caussas probassent.* Iuuenalis. Sat. 14.

-----Qui donet amico,

Qui paupertatem leuet attollatque propinqui.

ἐρανίζειν Græcis, à quorum moribus ad Romanos fluxit. Multa Casaub. ad Athen. 8. 10. & Theophrast. charact. cap. περὶ αὐθαδείας.

Quorundam filias dote auxi.] Phalaris epist. 143. Πέντε τάλαντον περίειχα πατέλιπεν αὐτῇ (θυγατέρι) φιλόδημος ἐκπλέων παρ' ἡμῶν, καὶ οὐχὶ ταῦτα μόνον, ἔστι γὰρ αὐτῇ κοινὰ καὶ τὰ φαλάριδος χρήματα. V. Hesych. Illustr. in Empedocle. Sæpè integrè dotabant etiam. Noster x. Miles. *Vt desolatam puellam, parentumque præsidio uiduatam, domus suæ tutela receptaret: ac mox arctissimo, sibique multum dilecto contubernali, largitus de proprio dotem, liberalissimè traderet.* Specimen munificentiæ huius insigne Vespasianus præbuit. Suetonius. *Vitellij hostis sui filiam splendidissimè maritauit, dotauitque etiam & instruxit.*

Tanti

Tanti reuera estis, quantum habetis.] Horat. Serm. 2.

---Tanti quantum habeas, sis.

Poëta vetus apud Senecam, Epist. 115.

Tanti quisque quantum habuit, fuit. Lucillius,

Quantum habeas, tanti ipse sies, tantique habearis.

Arbor infecunda, & infelix.] V. Muret. Var. 8. 9. Brodæum Miscell. 1. 1. Iuret. ad Symmach. 10. 28. Mercer. ad Nonnium. Meurs. ad Lycophron.

Agellum, quem tibi vnicum &c.] Horatius,

Satis beatus vnicis Sabinis.

Solus.] Paulinus de S. Fælice,

---Tria macri iugera ruris,

Ipse manu coluit, famulo sine.---

Vno asello.] Miles. 9. de seipso tum sub asino delitescente. *Me pauperculus quidam hortulanus comparat quinquaginta nummis, magno vt aiebat, sed vt communi labore victum sibi quæreret.* Breuiter porrò, sed acerbè, Æmiliani siue μικρολογίαν, siue egestatem perstringit, nam *Quod fieri per asellum potest, vilissimè constat*, inquit Plinius Lib. 18. cap. 6. quod & fusè persequitur Columella. Lib. 7. cap. 1.

Ad tempestiuum imbrem.] In de mundo. *Tempestiui imbres, & spiritus haud infecundi.* Pag. 28.

Ad t. i. triduo exarabas.] Promptum hoc è rustica disciplina. Plato apud Plinium Lib. 18. cap. 19. *Ara tempestiuè*, h. e, dum impendent imbres, post in sulcos casuri. atque ita Virgilium 4. Georgicorum capio.

---Incumbere aratris,

Dum sicca tellure licet, dum nubila pendent.

Et Claudianum.

Fælix qui Pharias proscidit vomere terras, *Poëmat. de Nilo.*

Nubila non sperat tenebris condentia cælum,

Nec grauiter flantes pluuiali frigore Coros.

Locus est perquam luculentus, sed cuius sententiam corrumpit Barthius, dum τὸ *sperat*, *metuit* pessimè interpretatur.

De patria vero mea &c.] Hanc periodum excudi iussi-

mus ad emendationem Casaubonianam, nam in prioribus Libris confusior erat.

Numidiæ & Getuliæ in ipso confinio.] Hoc idem dicere voluit 4. Floridorum, sed is locus in Libris omnibus ita corruptus visitur, vt dixisse eum quiduis aliud putes. *Ita mihi & patria* (inquit) *in concilio Africæ*. Lectio nihili: corrigend. ex hoc loco, *Confinio*.

Non video quid mihi sit in ea re pudendum.] Mixturam Patriæ suæ à contumelia vindicare satagit. hæc probri loco olim obijci solita, & à soli ambiguitate simile morum argumentum trahi. Silius. 16.-----*Dimitte bilingues.*

Æn. 1. *Ex animo socios*-----Virgil.

----*Domum timet ambiguam, Tyriosque bilingues.*

Plaut. Pers.

At hercle te hominem & syncophantam & subdolum,
Qui huc aduenisti nos captatum, Migdi-lybs, bisulci-lingua.

Terræ alumna.] Virgil.-- --*Terra omniparentis alumnum.* Miles. 6. Noster. *Terræ omniparentis agiles alumnæ.* Inualuit sensus apud non indoctos haud sanus, hoc verbi nusquam poni pro *Altore*. Nonnium vt euincam non aduoco, nam etsi vocis διλογίαν innuit, inualidis tamen probauit argumentis: afferam fortiora ego, de quibus nec dubitari queat. Auienus de Carthagine.

Perieg. *Vrbs Phænissa prius, Libyci nunc ruris alumna.*

id est, Metropolis. Idem de Tibride.

Romanosque Lares lapsu prælambit alumno. Et de Nilo,

-------*Largo segetes quod nutriat amni,*
In Arat. *Arentesque locos vnda fæcundet alumna.*

Florus Lib. 3. cap. 21. *Alumna Vrbis Ostia*, h, e, quæ Romam alit eò vndique commeatu vecto: Meretrix in veteri Lapide. ME VENERI ALVMNÆ ADDIXI. In χράσει *almus* vis eadem. Noster 4. Miles. *Orbis totius alma Venus.* Lucretius 2. -----*Liquor almus aquarum.* Seruius Georg. 2. *Almus ager, ab eo quod nos alat.* Festus. *Alma, sancta, siue pulchra, vel alens ab alendo.* Gloss. *Alma*, κλυτὴ, ἁγνὴ, ὡραία, θρέπτειρα. vet. Onomast.

Almus, Ζείδωρος. ſic *alumnari* pro *nutrire, educare*. Miles. 6. *Adoleſcentem iſtum quòd meis manibus alumnatus ſit, ſcitis omnes*. Et 8. *Canes rabidos & immanes* &c. *quos ad tutelæ præſidia curioſè fuerant alumnati*. Quæ omnia palam eſt actiuam ſignificationem habere: h. e. innuere, non τρόφιμον, ſed τροφόν.

Sol apricus.] Varro Myſter. *In ſole apricari*. Feſtus. *Apricum, locum à Sole apertum*. Gloſſ. *Apricus*, τόπος εὐήλιος.

Quid ex iſtis addi vel minui ad virtutem vel malitiam poteſt?] Extat in hanc mentem ſanè Oratio quædam Themiſtij περὶ τοῦ μὴ δεῖν τοῖς τόποις, ἀλλὰ τοῖς ἀνδράσι προσέχειν. alia tamen Curtius lib. 8. & Polyb. 4. Hippocrat. lib. de aer & loc. Ariſtot. Polit. 7.7. imò Plato tuus in Timæo, Menedemo, de Legg. 5. de Republ. 8.

Quando non in omnibus gentibus varia ingenia prouenêre?] Iul. Firmicus Mathes. 1. 4. *De moribus gentium ſuperuacua diſputatio eſt, nam & Aſianos plurimos videmus, imò penè omnes, ſobrietatis inſignia præferentes, & Græcorum leuitas frequenter modeſtæ grauitatis pondus accipit* &c. Confer Veget. 1. 2.

Quanquam videantur quædam ſtultitia vel ſolertia inſigniores.] Idem Firmicus. *Quædam gentes ita à cælo formatæ ſunt, ut ſint propria morum vnitate conſpicuæ. Vnitas morum eſt* διάστασις ἐθνική.

Apud ſocordiſſimos Scythas Anacharſis ſapiens natus eſt.] Themiſtius, Ανάχαρσιν δὲ τὸν Σκύθην πάντων ἀκούεις, ὅτι καὶ σοφὸς ἦν καὶ Σκύθης. Iulianus Orat. ad Senat. & Pop. Athen. Τυχὸν οὐ παράδοξον ἐν πολλοῖς φαύλοις ἕνα γενέσθαι σπουδαῖον. ἢ γὰρ, οὐχὶ παρὰ Μήδοις ὑμνεῖταί τις Δηιόκης, Αβαρίς τε ἐν Υπερβορείοις, καὶ Ανάχαρσις ἐν Σκύθαις; At cur *ſocordes* Scythas Apuleius vocat? Herodotus ex Diametro pugnat, en verba eius. Ο δὲ πόντος ὁ Εὔξεινος ἐπ' ὃν ἐστρατεύετο Δαρεῖος, χωρέων πασέων παρέχεται (ἔξω τοῦ Σκυθικοῦ) ἔθνεα ἀμαθέστατα: οὔτε γὰρ ἔθνος τῶν ἐντὸς τοῦ Πόντου οὐδὲν ἔχομεν προβαλέσθαι σοφίας πέρι, οὔτε ἄνδρα λόγιμον, παρὲξ τοῦ Σκυθικοῦ ἔθνεος καὶ Αναχάρσιος, cenſen-

dum itaque est Apuleium hoc nomine omnes Ponti accolas intellegisse, Herodotum vnam eorum gentem ita propriè vocatam, quam Scymnus Chius *Nomadicam* appellasse videtur.

Καὶ τὸν σοφὸν δ᾽ Ἀνάχαρσιν ἐκ τῶν Νομαδικῶν
φησὶ γενέσθαι τῶν σφόδρα εὐσεβεστάτων.

Athenienses catos.] Miles. I. *Athenienses catos illos, & omnis scientiæ magistros.* Attici acuminis apud veteres fama non infrequens. Tertullian. de anima. cap. 20. *Thebis hebetes & brutos nasci relatum est: Athenis sapiendi dicendique acutissimos.* D. Hieron. in cap. 3. Galat. *Athenis expeditiora nasci ingenia Philosophi gloriantur.* Martialis. ——— *Tibi cor limante Minerua*

Acrius, & tenues finxerunt pectus Athenæ.

Putabant enim acumen gigni ab aëris tenuitate. Cicero de Fato. *Athenis tenue cælum, ex quo acutiores etiam putantur Attici.* Vitæ Pythagoræ Author apud Pho-
Cod. 249. tium. Διὸ καὶ οὐδ᾽ ἐπείσακτός ἐστιν (ὡς εἰπεῖν) ἡ παιδεία ἐν ταῖς Ἀθήναις, ἀλλ᾽ ἐκ τῆς φύσεως ὑπάρχουσα· τοῦ τοιούτου ἀέρος ἰσχνοτάτου ὄντος καὶ καθαρωτάτου, ὡς μὴ μόνον τὴν γῆν λεπτύνειν &c. ἀλλὰ καὶ τὰς ψυχὰς τῶν ἀνθρώπων. συμβαίνει γὰρ τὸν λεπτὸν ἀέρα τὴν μὲν γῆν βλάπτειν, τὰς δὲ ψυχὰς ὠφελεῖν. Adi Cassiodor. Var. 12.15.

Catos.] Glossæ Ὀξύς, ὁ νουνεχής. *catus. Catus,* ὀξύς, δεδιδαγμένος.

Pag. 29. *Munere populi.*] Rectius in alijs, *Munere populi Romani,* nam quod *Numine propitio* vir magnus voluit, neutiquam sequendum puto. Qui abnuunt τῷ *Romani, Populumque* κατ᾽ ἐξοχὴν dictum volunt, næ ij noua somniant, & citra fidem Authorum; nam etsi *Vrbem* ea figura reperias, vix *Populum.* Omnem verò scrupulum
Cap. 28. eximemus simili Solini loco. *Cæsariensi (inquit) Colonia Cæsarea inest à D. Claudio deducta: Bocchi priùs Regia, postmodum Iubæ indulgentia Populi Romani dono data.* Quod ait, *dono data*, Noster *munere concessa* dixit, & (ni fallor) vtrumque absolutum ius notat. Itaque quæ de procu-

ratione Gentilis heic, faceſſant ocyus.

Nouo conditu.] *Conditus* eſt *Aſsignatio* ſiue *diuiſio agrorum*: inde *Conditores* dicti quorum id munus in Coloniarum deductionibus. horum non infrequens mentio apud Limitum ſcriptores. Turnebus legit hoc loco, *nouo conditi. nouum* ὑπαρχτικῶς, vt apud Feſtum, *quum quid nouatur*. Tertullianus ſanè hoc ipſo argumento *nouitatem* extulit. *Viri Carthaginienſes* (ait) *vetuſtate nobiles, nouitate falices*, h. e, Coloniæ huius noua deductione. *De Pall.*

Splendidiſſima Colonia.] Omnia quæ in Coloniam cadere ornamenta poſſunt, videtur vnico hoc verbo congeſſiſſe. Tacit. German. *In ſplendidiſſima Rhetiæ Prouinciæ Colonia.* Cicero Philipp. 5. *Mutinam firmiſſimam & ſplendidiſſimam Pop. Rom. Coloniam.* Lapides.

.... DECVRIONI SPLENDIDISSIMÆ COLONIÆ.
.... ORDO ET POP. SPLENDIDISSIMÆ. COLON.
AVG. HIMEREORVM.

Patrem habui loco principe &c.] Quam claritudinem ſtemmatis ſui vel è Mileſijs patere voluit. Lib. 3. *Neque tuæ dignitatis, vel etiam proſapiæ tuorum ſumus ignari, Luci Domine: nam & Prouinciam totam inclytæ veſtræ familiæ nobilitas complectitur.* Et XI. *Nec tibi Natales, ac ne dignitas quidem* &c. *vſquam profuit.* De Patre vero quem hoc loci memorat, quique vulgo *Theſeus* perhibetur, vide alia omnia apud Salmas. in Prolegom. ad Solin.

Duumuiralem.] Honoris apex in Municipijs, Colonijſque. Vlpian. l. 1. *D. de alb. ſcrib.* V. Scalig. Auſon. Lect. Lib. 2. Panciroll. de Magiſtrat. Municipal. Alciat. Diſpunct. Lib. 3 cap. 5. & ad l. 239. *de verb. ſignif.*

Cunctis honoribus perfunctum.] Miles. 10. *Gradatim permenſis honoribus.* Scatet eiuſcemodi Elogiis Inſcriptionum corpus.

Exinde vt participare Curiam capi.] Auſonius.

Curia me duplex, & vterque Senatus habebat,
Muneris exortem, nomine participem.

Participare Curiam, eſt in Decurionum ordinem adſciſci,

fecus enim impos fuiſſet Duumuiratus. Paulus. l. 7. *D. de Decurion.* At verò *tradi Curiæ*, aut *Curialium obſequio*, tantum ab honore aberat, vt inter pœnas eſſet. V. Forner. Quotid. Lib. 1. cap. 28.

Nequaquam vt ſpero, degener.] Miles. 7. *Hæres & æmulus paternæ virtutis.* Ibid. *Nec ab illa paterna gloria, vel virtute mea deſciui.*

Zarathe.] Caſaub. *Zarath.* in eo enim (inquit) ἡ βαρβαρότης quam ridet Apuleius, quod nempe in aſpirationem deſinat, contra Græcam Analogiam.

Puditum eſt.] Florid. 1. *Apollinem tam humilis victoriæ puditum eſt.* Et 2. *Non pigebit me commemorare, quod illum non puditum eſt oſtentare.* V. Seru. ad Æneid. 10. Donat. in Andr.

Tam aſſeueratè obiectare?] Gellius 7. 5. de Polo Hiſtrione, *Tragedias Poëtarum nobilium, ſcitè atque adſeueratè actitabat.* Noſter heic ſupra, *In aſſeueranda oratione.*

Auctoritatem.] Fuluij MS. Codex *auſteritatem*, non improbantibus VVouuerio & Gentile.

Totius Prouinciæ negotijs occupatum.] Florid. 2. *Prouincialium negotiis.* At videtur hoc loco Apologiæ excidiſſe quid; ex fide Meurſij enim in M S S. legitur, *Totius ſeueuiciæ Prouinciæ* &c. exin legebat ille, *Totius denique Prouinciæ*, &c. Hunc locum Barthius etiam tentauit, Aduerſ. Lib. 7. cap. 9.

Vana hæc conuitia aufertis?] Gellius Lib. 18. cap. 4. *Vanos doctiſſimi veterum non (vt vulgus) deſipientes, aut hebetes, aut ineptos: ſed mendaces & infidos, & leuia inaniaque pro grauibus & veris aſtutiſſimè componentes, vocabant.* quæ optimè vocis pondus in Apuleio monſtrant. Feſtus Auienus,

In Fab. *Vana laboratis aufer mendacia dictis.*

aufer Plautinum eſt. Trucul. *aufer nugas.* Aulul. *aufer cauillum.* Perſ. *Iurgium hinc auferas.*

Scelera immunia.] Mirum quantum hæc Lectio arrideat eruditis, Ego (quod in quibuſdam viſitur) *immania* mordicus retineo. Infra, *Sceleri nefando, immani*,

impetibili. Virgil. Æn. I.

-----Scelere ante alios immanior omnes.

Latro in Catilin. *Huius immanissimi sceleris atrocitatem.* Ibid. *Deque vlciscenda immanissimi sceleris atrocitate.* Saluianus 4. de Gubern. *Adea per scelera tam immania peruenitri.* & alibi. *Criminum turpitudinem, scelerum immanitatem.* Pag. 30.

Flammam stipula exortam.] Virgil.

Vt quondam in stipulis magnus sine viribus ignis.

Sedulius Opere Paschali,

-------Velut ignis oberrans
Arentes stipulas, vires cui summa cremandi
Materies infirma rapit, victoque furore,
Labitur inualidæ deformis gloria flammæ.

Leges cerimoniarum.] Miles. XI. *Cerimoniarum ritus.* Florid. 2. *Cerimoniarum potentias.* Arnob. 6. *Cerimoniarum debita.* Gloss. MS. Cl. Bourdelotij, *Cerimoniæ, obseruationes relligionum.*

Magia id est quod Plato interpretatur Θεῶν θεραπείαν.] In Alcibiade puto. Porphyr. περὶ ἀποχ. L. 4. Παρά γε μὴν τοῖς Πέρσαις οἱ περὶ τὸ θεῖον σοφοὶ, καὶ τούτου θεράποντες, Μάγοι μὲν προσαγορεύονται, &c. Hesych. Μαγεύειν, γοητεύειν, θεραπεύειν θεούς. Quod verò Laërtius è Clitarcho tradit, Chaldæos περὶ Ἀστρονομίαν καὶ πρόῤῥησιν ἀσχολεῖσθαι, Magos περὶ θεραπείας Θεῶν διατρίβειν, videtur tantulum à vero abhorrere: nam & Magi vaticinabantur & astorum peritissimi erant. Cicero de Diuinat. *In Persis augurantur, & diuinant Magi.* Lucian. Macrob. Οἱ καλούμενοι Μάγοι, γένος τοῦτο μαντικὸν &c. Iuuencus Hist. Apostol. Lib. I.

Gens est Eoi Phœbo orto proxima, regni
Astrorum sollers ortusque obitusque notare,
Quorum primores nomen tenuere Magorum.

Ammian. Marcell. L. 23. *Hystaspes Darij Pater, quum superioris Indiæ secreta fidentius* (suspectam hanc vocem habeo) *penetraret, ad nemorosam quandam venerat solitudinem, cuius tranquillis silentijs præcelsa Brachmannorum ingenia potiuntur: eorumque monitu rationes mundani motus, & side-*

rum, puroſque ſacrorum ritus quantum colligere potuit eruditus, ex his quæ didicit, aliqua ſenſibus Magorum infudit, quæ illi cum diſciplinis præſentiendi futura, per ſuam quiſque progeniem poſteris ætatibus tradunt.

Puerum regium adoleſcentem Perſæ imbuant.] Clemens
Στρωμ. 5. ab Ægyptijs hunc morem eos traxiſſe ait.

Pag. 31. *Thraci generis.*] Miles. 4. *Genere Thraco præditus* ibi Coluium vide.

Θεραπεύεσθαι δὲ τὴν ψυχὴν ἐπῳδαῖς τισι.] Eadem Pythagoræ diſciplina. Malchus in de vita eius. Τὰς ψυχὰς νοσούσας παρεμυθεῖτο, τοὺς μὲν ἐπῳδαῖς καὶ μαγείαις, τοὺς δὲ Μουσικῇ.

Vi cantaminum.] Miles. 1. *Violentia cantionum.* Ibid. *Cantionum virtutibus.* Orig. I. contr. Celſum, ἐπῳδῶν δυνάμεις.

Venenarium.] De venenarijs mentio l. 29. *D. de pœnis.* Gloſſ. *Venenarius* φαρμακοποιός. Gloſſ. MS. Bourdelotij. *Veniarum, herbæ ʒ.* lege *Venenarium, herbarium.*

Quibus ſcrupulis.] Stuporem Steuuechij ingerentis *Satellitibus?* annon proximè præceſſit, *cibari ſcrupuloſè?*

Perniciem cæcam & ineuitabilem.] Magiam. Miles. 2. *Cæcas & ineuitabiles latebras Magicæ diſciplinæ.* Et 3. *Poteſtas magicæ diſciplinæ, & cæca Numinum coactorum violentia.* Item 1. de poculo infecto. *Perniciem cæcam viſceribus furentem. Cæca pernicies,* χάος ἐνδόμυχον.

Pag. 32. *Magos nominant, quaſi facere etiam ſciant quæ ſciunt fieri.*] Minuc. Octau. *Magi non tantum ſciunt Dæmonas, ſed etiam quicquid miraculi ludunt, per Dæmonas faciunt.*

Aſtanes.] legend. vt edidit Coluius. *Oſtanes.* meminit eius infrà Noſter. D. Cyprian. in de Idol. vanit. & Minuc. Fælix, (apud quem vulgò malè *Soſthenes*) Plinius Lib. 30. cap. 1. duos *Oſtanes* ponit; alterum in exercitu Xerxis quum in Græciam deſcenderet: alterum citeriorem, M. Alexandri comitem.

Catharmoe.] καθαρμοί. V. Caſaub. notas. Schott. Obſeru. Human. 5. 15.

Socratis

Socratis Dæmonium.] Rectius heic quàm in Apodeixi peculiari, vbi *Deus* vocatur. Ipse Socrates apud Platonem, Plutarchus, Cicero, Maximus Tyrius (qui duas edidit de eo dissertationes) vbique Δαιμόνιον vocant eum, non *Deum.*

Post annos tredecim.] Poscere sequentia *quatuordecim* rectè Casaubonus notat.

Habet aliquid Apuleius domi quod secretò colit.] Idem hoc ab Ethnicis obiectum Christianis. Minuc. Octau. *Cur etenim occultare & abscondere quidquid illud colunt magnoperè* (lego *tantoperè*) *nituntur, quum honesta semper publico gaudeant, scelera secreta sint?* Sophocl. Electr.

πῶς τὸ δ' εὖ καλόν τ' οὖργον σκότου δεῖ;

Morbo corporis impeditum.] Acidalius *impetitus* otiosè. Pag. 33.
Cicero Verr. 5. *Ætate & morbo impeditus.* Noster in Milesiis, *Morbo implicatus.* Nonnus in Ioann.

——— νουσαλέῳ πεπεδημένος ἅψεα δεσμῷ.

Symmachus. 7 28. *Febre impeditus.* Ammianus Marcel. L. 14. *Ægritudine colligatus.* Pari elegantia est vbi pro sano *Expeditum* ponunt. Miles. 9. *Sanum me, atque omni morbo scirent expeditum.* Suprà heic. *Sanitas expedita, imbecillitas laciniosa est.*

Bono periculo.] Infrà. *Cui bono periculo domus fortunam concrederet.* Iterum, *Et iam bono periculo ad testimonium illud Crassi* &c. In de Deo Socrat. *Haud scio an bono, certè quidem meo periculo.*

Pro accusationis longitudine largiter aquæ superest.] De aquâ notum. At quid illud? *Pro accus. long.* Barthius Aduers. 5. 12.
æqualia vtrinque dicendi spatia notari contendit, malim ego sesquialteram proportionem ex parte Rei; quod in caussis, capitalibus duntaxat, aliquando moris fuisse docent Plinius in Epistolis, & Asconius Verr. 3. Lib. 4. Epist. 9.

Ista multitudo, quæ plurima vndique ad audiendum conuenit.] Florid. 4. *Tanta multitudo ad audiendum conuenistis.*

Potius habeant.] Multi heic *aueant* legunt, quibus accedunt quæ & Cujacius notat ad Paul. *Recept. Sentent.* L. 3.

Tit. *de Testam.* ego in vulgata lectione nil video quod non optimè ferri potest.

Officij gratia, quàm lucri caussa.] ἔλλειψις τοῦ *potius* iam vel pueris nota, adeò nil heic Elmenhorstius agit cum Fuluij MS.

Pag. 34. *Cuius obtentu & voluntate à patruo eius accusor.*] *Dederat Libellum enim nomine nepotis sui, adscripseratque se ei adsistere &c. scilicet vt obtentu eius ætatulæ ipse insimulationis falsæ non plecteretur.* Verba sunt Authoris in limine Apologię.

Phrygionibus.] Salmas. ad Vopiscum. Seriuerius ad Senecam.

Vt faber mihi piscem, piscator mutuò lignum dedolaret.] Manca lectio, quam fæliciter ita è Florentino Elmenhorst. suppleuit. *Vt faber. m.p.euerreret, p.m.l.d.*

Maleficio] Magiæ, *sic in* XII. QVI MALVM CARMEN INCANTASSIT. V. Heins. ad Silij Italici. Lib. 3.

Panem pretio mutaui.] Græcismus *pretio mutare*. Timon

Lib. 3. cap. 17. apud Gellium.

Πολλῶν δ' ἀργυρείων ὀλίγην ἤλλαξας βίβλον.

Cupediarijs.] Quos Onomast. vetus reddit Ζωμοποιούς, quasi dicas, *gnaros iuris conaiendi*: ego nec de illis, nec καθόλου lautiorum edulium venditoribus Apuleium loqui puto, prorsus nec alio genere hominum quàm Piscatoribus. Miles 1. *Forum Cupedinis peto, inque eo piscatum opiparem expositum video. Forum Cupedinis, est Forum piscatorium,* ἰχθυοπώλιον, vt in vett. Glossis. Temerè aduersetur nemo, stat à nobis Scaliger, *μάρτυς σεμνὸς μάλα καὶ ἀξιόπιστος.*

Pag. 35. Depenso parantur.] *Depenso* non valet *Immenso pretio*, (quod Gentilis vult,) sed pretium nudè numeratum, sine intensione. Suprà proximè. *An ex eo intellexistis maleficio quæri pisciculos, quod pretio quærebantur?* Infrà. *Piscatoribus mercede innixatis.* Pretium, & mercedem, gratuitæ donationi opponit.

Magiæ desiderari.] Valeat Fuluiaria lectio *destinari*. Infrà *Desiderata ad res venereas marina obscæna.*

Id quod solent.] τὸ *Id* VVovver. non male expungendum censet.

Quo proximo signo.] Infra, *Patiens & oppido proxima humanitate.* h. e, (vt supra notauimus) *manifesta.* Minuc. Octau. *Apertius, proximius.*

Altilia.] Miles. x. *Carnes lasere infectas, altilia pipere inspersa.* *Altilia* dixeris omnia in saginam tradita, proprie tamen volatilia. Gloss. *Altilium*, Σιτευτῶν. *Altiles* Σιτισταί. legendum fors. *Altores*, *Auarij* nempe, quos olim in Oeconomia lautiorum locum habuisse legimus, Lapis

.... PRISCVS.
L. VARI. AMBIBOLI.
AVIARIVS. ALTILIARIVS.

Alius ANTIGONVS. DRVSI. CAES.
AVIVM, FARTOR. &c.

Quid enim competit ad amoris ardorem &c. piscis, aut omnino res pelago quæsita?] Multum. Hesych. Illustr. Αἴσωπος, οὐχ ὁ μυθοποιός, ἔγραψε περὶ Ἑλένης, ἔνθα φησὶ πάντα ἰχθὺν καλεῖσθαι κηπόδη, ἐν τούτῳ δὲ τὸν Ἀστερίτην λίθον εὑρίσκεσθαι, ὃς ὑπὸ τῷ ἡλίῳ ἀνάπτεται, ποιεῖ δὲ πρὸς φίλτρα. Eadem Suidas, & Ephestion apud Photium. Nec dissimile de Echeneide tradit Aristoteles De animal. 2. 14. de Mustela marina Ælianus. Var. hist. 15.13.

Venus pelago exorta.] Miles. 2. *Mari edita, fluctibus educata.* Et 4. *Dea quam cærulum profundum peperit, & ros spumantium fluctuum educauit.* Iulius Solinus Pontic. fragm.

——— Quæ semine cæli
Parturiente salo, diuini germinis æstu:
Spumea purpureis dum sanguinat vnda profundis
Nasceris è pelago. ——— V. Tiraquell. ad l. 9.

Connub. Num. 166. & 167. Ritterhus. ad Oppian. Cyneg. 1.

Vittas molles, & verbenas pingues, & Thura mascula.] Pag. 36. Eclog. 4. Ex eo Nemesianus.

Quid prodest quod me pagani mater Amynta,

Ter vittis, ter fronde sacra, ter thure vaporo
Lustrauit? ———

Thura masculo.] Turneb. Aduers. 10. 2. Tiraquell. vbi suprà, num. 66. & 67.

Licia discolora.] Quæ infrà Læuius *Tænias bicolorias* vocat.

Limum durabilem, ceram liquabilem.] Ioan. Sarisburiens. Polycrat. 1. 12. *Ad affectus hominum immutandos in molliori materia, cera fortè vel limo, eorum quos peruertere nituntur, effigies exprimunt.* Plura de his malis pupis Heins. ad Theocrit.

In opere serio.] Lactant Diuin. Instit. Lib. 3. cap. 29. *In opere valde serio, vbi præcepta vitæ* &c.

Detergenda.] Malim cum aliis nonnullis *detegenda. degere, detrahere.* V. Nonnium Marcellum.

Exscindenda.] Sequor lectionem Coluij, *Excidenda.* Florid. 2. *Lingua excidenda est.* Miles. 5. *Ferro caput excideres meum.*

Inuncanda.] Frustra eximius Pytheus *Inescanda.* V. Brantii & Colui Not. item Sauar. ad Sidon. Concion. Lib. 7. Epist. 9.

Fluctum scrutaris.] Voce aptissima vsus est, *Scrutari.* Manilius 4.

Scutarique nouum pelagus. ———

Claudian. 4. Consul. Honor.

——— *Calidi scrutatus stagna profundi.*

Priscian. in Perieg.

Scrutantur ripis alij torrentibus imbri,
Berylli gemmas. ———

Ausonius Mosell. *Scrutatur toto populatrix turba profundo.*
Ibid. *Ille hamis & rete potens, scrutator operti Nereos* ———
Stat. Theb. ——— *Scrutator aquarum.* Et Sylu. 3.

Fluctiuagos nautas, scrutatoresque profundi.

Nonnus in Ioann. cap. 1. ——— Ἐρευνητῆρος θαλάσσης. Valeant deliria hominum in Apuleio noua omnia aut absoleta somniantium. Scriptor cum primis purus, elegans,

Latinus est: Leporis & amœnitatis Pater, norma proprietatis.

Nisi te dudum animaduertissem Græcam Pudentillæ Epistolam legere nequiuisse.] Infrà. *Hic qui Epistolam Pudentillæ Græcatiorem legere non poterat, hanc vt suam, facilius legit, & aptius commentauit.*

Versus ipsos, quos agnoscent &c.] Ita Libri quos vidi omnes, nulla Syntaxi planè. Coluius vt constaret aliqua, pro *ipsos, posui* legit. At quæ (per Deos) est hæc ratio emendandi? Adeon' pro libitu licebit mutare omnia, & sententiam struere etiam per fas ac nefas? Si hoc concessum, næ ille bardus & bucco, qui non facile sanauerit Authorum corruptissima quæque. Innitendum est in coniecturis, apicibus literarum; insistendum vestigijs vulgatæ lectionis: quibus quantò receditur, eò prauiora quæ suggerimus, magisque à vera Critica aliena esse certissimum est. Hæc parcè, non vt Manibus insultemus eruditi iuuenis, (iudicij medius fidius in his studijs subactissimi) neque verò quod voculam eam censeamus sollicitandam, (quam nullatenus in mendo cubare fidenter spondeo) sed vt moneam, si quis in ea locus mutationi fuisset (quod quidem ille persuasum habuit,) debuisse eam ingerere emendationem aliquam minus longinquam. Nos (vti diximus) τὸ *ipsos* sanùm præstamus: quærendus alibi defectus, dico in clausulæ principio; eius non hiatum, sed rimulam expleo insertione vnius intericctiunculæ, quam Authoris effusam calamo deierabis mihi. Lego. *En versus ipsos, quos* &c.

Qui Lælium legère.] Ambigi à doctis video quid heic scribendum, aut quis hic *Lælius* de quo alibi nulla mentio. *Lælios* quidem nouimus quosdam, nullos qui Amatorijs luserint. Quærendus heic Scriptor quispiam *Ερωτοπαιγνίων.* Eum Scalig. *Læuium* putat, de quo Festus in *Rediuia*. Auson. Cent. Nupt. Gellius. 2. 24. Macrob. 1. 18. Plin. ad Pontium Epistol. Lib. 7. Laudatur prædictis sanè nomine *Lælij Liuij, & Neuij,* Scaliger vbi- *Auson. lect. 1. 27.*

Not. ad Eustath.
Animad. 6.13.
In Proleg.

que *Leuium* rescribendum censet. eruditiss. Gauminus retinet *Lælium.* Iunius & Vinetus à *Liuio* stant, *Andronico* nempe, qui fabulas Romæ docuit etiam ante Ennium. maximè probabilis videtur sensus Scaligeri, quem & firmat accuratissimus Solini enarrator.

Philtra omnia vndique eruunt.] En tibi versiculos qui ita torserunt Criticos dicam, an quos Critici? Exiguum id visum est vt eos emendandos susciperent qui de professo hanc Spartam ornauerunt, puta Coluium, Casaubonum, Gentilem, vt mittam reliquos: nisi accederent & qui aliis intenti, tamen de via deflecterent, captarentque, quantum potuit, occasionem eos emendandi. Vtrorumque coniecturas in medium dabimus, non laxè, vt ab iis scriptas offendimus, sed coactè, & recisa omni περιαττολογίᾳ, à quâ tantum abhorremus, vt in hac opinionum multitudine suspiciones nostras proponere pænè nobis religio sit,

Not ad Solin.

Antipathes illud quæritur.] Rectè eruditiss. Salmasius duplex heic mendum aduertit. In voce *quæritur*, & in ordine versiculi ipsius. Στίχος hic præponendus priori, legendumque *quærito.* nam quis adeò imperitus est qui non agnoscat προσφώνησιν?

Annot. poster. 198.

Antipathes.] Ita primus restituit Pius, non Turnebus vt Casaubono visum, qui tamen τὸ *Antiphates* censet retineri posse. *Antipathes* Μῶλυ est, Alexipharmacum illud longè decantatissimum, quo Mercurius Vlyssen munijt aduersus Circen. V. Eustath. ad Odyss. x. Plin. Histor. 25.4.

Trochiscili, vngues.] Pius coniunctim legit *Trochyli vngues*, refertque ad *Trochilum* auem (quæ & *Regaliolus:* Aristoteli πρεσβὺς dicta:) sed heic (vt in sequentibus) nugatur nugacissimè. Salmas. *Trochus, pili, vngues.* τὸ *vngues:* retinet etiam Gaulminus ad Eustath. Scimus nos & *pilos* & *vngues* sæpius veneficiis adhibitos, magis arridet tamen hæc lectio, *Trochisci, Iynges. Trochos* seu *Rhombos* autem *Iyngibus* signatissimè adiunxit, nam & simul

positos reperias in vſu Magico, vt iam ex Pindari Scholiaſte aliis adnotatum. Tzetzes Chiliad. XI. 380.

Καὶ ὅλον ὁλοχρύσως δὲ πρὸς ἔρωτας τὸ ζῷον
Ἐκτεταμένον τοῖς πτεροῖς ἐπί τινος τροχίσκου,
Καὶ συμπεριστρεφόμενον εἰς ὄνομα ἐρῶντος,
Τοῦτο κυρίως γίνωσκε τὴν ἴυγγα ὑπάρχειν.

Eiuſdem vſus, & ferè formæ fuere ſphærulæ Hecaticæ. Pſellus in Scholiis ad Oracula Chald. Ἑκατικὸς στρόφαλος σφαῖρά ἐστι χρυσῆ, μέσον σάπφειρον περικλείουσα, διὰ ταυρείου στρεφομένη ἱμάντος, δι' ὅλης αὐτῆς ἔχουσα χαρακτῆρας· ἣν ἐπιστρέφοντες ἐποιοῦντο τὰς ἐπικλήσεις. καὶ τὰ τοιαῦτα καλεῖν εἰώθασιν ἴυγγας, εἴτε σφαιρικὸν εἶχον, εἴτε τρίγωνον, εἴτε καὶ ὅτι σχῆμα. ἃ δὴ δονοῦντες τοὺς ἀσήμους ἢ κτηνώδεις ἐξεφώνουν ἤχους, γελῶντες, καὶ τὸν ἀέρα μαστίζοντες. *Tæniæ* quæ ſequuntur heic, ſat notæ, cui minus Caſaubonum adeat. Verſiculus quartus non controuertitur, in quinto ſudatur maximè. Vulgò ad hanc faciem exhibetur:

Aureæ illices bichordilæ.] Pius, *Aureæ, Iynges, trychiæ, cordylæ*, deſignans piſces quoſdam nimis infæliciter. Scaliger (quem ſequutus eſt Delcampius) *Auriplices bitortilæ. Auriplices* refert autem ad ſigilla Magica quædam, in Gloſsis *Ipſiplices*, apud Feſtum *Ipſullices* perperam appellata. *Ad Virgil. Cyrin.* Gaulminus retinet vulgat. *Aureæ illices. Tænias* (inquit) *radiculas* &c. Amoris *illices* vocat, quia eum conciliant. *aureas* dixit, vt & alii χρυσῆν ἔρωτος μανίαν. Caſaubonus verſiculum hunc (qui vulgò quintus) ponit quarto loco, refertque ad *Tænias* illas quæ claudunt στίχον tertium. ſcribi autem debere putat *Alterplices bicoloreæ. Alterplices, duplices.* vt apud Feſtum Pompeium. *Bicoloreæ*, vt *licium varij coloris* apud Petronium. *Ad pall. Tertull.* Salmaſius (omnium nouiſsimus) *Auri plices*, legit. *Plices* tabellas vocat, quas πτυχὰς Græci; alibi tamen alia, atque ex membranis vett. ſcribendum omnino cenſet, *Sauri, illices bicodulæ*. *Not. ad Solin.* *Sauros* (retenta Græca voce) *Lacertos* vocat, quos etiam memorat Theocrit. φαρμακευτρ. *Illices bicodulas* ait *Iynges* eſſe, id eſt σισοπυγίδας, dictas *bicodulas*, quod

caudas vibrando duplicent: sic serpentes *bilingues* dictos à linguæ spisso motu, & apud Hesychium τὰ ὄφεργα διπλοῖ, nempe à tremula vibratione.

Hinnientium dulcedines.] Idem fusissimè ad Solinum, pag. 939. & sequ.

Pag. 37. *Quare autem videatur nihil adiutare, dicam vnde id coniectem.*] Locus à pluribus ventilatus. legitur in quibusdam. *quanquam videatur*, &c. melius Acidalius. *Quam* (Magiam) *quur videatur* &c. τὸ *id* enim quod sequitur, παρέλκει, vt & alibi.

Pythagoram Zoroastris sectatorem.] Imo *Auditorem*. Florid. 4. *Sunt qui Pythagoram aiunt eo temporis inter captiuos Cambysæ Regis Ægyptum quum aduceheretur, doctores habuisse Persarum Magos, ac præcipuè Zoroastrem, omnis diuini arcani Antistitem.* Sed turbat temporis ratio, enim Pythagoras recentior multo. *Zaradæ* tamen Pythagoræ præceptoris meminit Plutarchus in περὶ τῆς ἐν Τιμαίῳ ψυχογονίας qui an idem cum Malchi *Zabrato*, & *Nazarato* Clementis Alexandrini, vide apud incomparabilem Seldenum nostrum in de Diis Syris, Syntag. 2. cap. 1.

Subsiciuam Græciam.] *Græcia exotica* Plauto in Menechm.

A quibusdam piscatoribus euerriculum trahi, fortunam iactus eius emisse.] Valerius Lib. 4. cap. 1. *A piscatoribus in Milesia regione verriculum trahentibus, quidam iactum emerat.* Gloss. & Onomast. *Verriculum*, Σαγήνη.

Iussisse illicò pisces qui capti tenebantur, solui retibus & reddi profundo.] Fusius rem narrat Plutarchus Sympos. 8. 8. & Tract. Πῶς αἰτῆς τῶν ἰχθρῶν &c. Similem (vt Arnob. vocat) humanitatem, Plutarch. χρηστότητα εὐεργησίας, in Xenocrate Ælianus memorat, Var. 13. 31.

Quos scilicet] Piget dicere adeò elegantem χρᾶσιν à viro maximo sollicitatam; vtique cum eandem vim habeat quam illius τὸ *scire licet*.

De manibus amissurum.] Miles. 6. *De manibus emittas offulam.* Et 8. *Prædam medijs manibus amisimus.* Cæsar Bello

ciuil.

ciuil.1. *Hostem ex manibus dimitti.* Idem 6. Gall. *Prædam ex manibus dimitterent.* Et alibi. *Fortunam tantam ex manibus dimittant.*

Terræ scripsisse.] Et heic infæliciter idem eximius vir legit *ascripsisse.* Authori nostro nil solennius quam simplicia pro compositis ponere, & è conuerso. suprà. *Magiæ argumentum de piscibus recepisti.*

Nec Proteus faciem.] h. e, ὄψιν, speciem, siue corporis facturam. Nonnius. *Vt ab aspectu species, & à fingendo figura, ita à factura corporis, facies.* V. Casauboni notas. Pag. 38.

Vlysses Scrobem] Miles. 1. *Deuotionibus sepulchralibus in scrobem procuratis.* Lycophron. ψυχαῖσι θερμὸν αἷμα προσχέας βόθρῳ. Ouid. Metam. 7. Horat. Sat. 8. Silius Ital. Lib 13. Theodoret. θεραπευτ. Serm. 8. Iustin. Martyr. Apolog. 2. Philostrat. de vit. Apollonij. 4. 5. Euseb. in Hieroclem. Nicephor. ad Synes. περὶ ἐνυπν. Omnium accuratissimè Heliodor. Lib. 6.

Penitùs piscium ventribus.] Scio Apuleium scripsisse *penitù*: & ita legam ego vel solitarius Miles. 5. *Penitus præcordijs.* XI. *Penita mente conditum.* In de Deo Socrat. *Penitissimis mentibus.* Miles. 6. *De summi fontis penita scaturigine.*

Mercurius carminum vector.] Locus variè interpolatus. Scripserim *Animarum vector*, aut *Animarum euocator.* Tertullian. de anima, cap. 53. *Tunc exultat aut trepidat, prout paraturam deuersorij sui sentit de ipsius statim Angeli facie, euocatoris animarum, Mercurij Poëtarum.*

Illex animi Venus, & Luna noctium conscia, & Manium potens Triuia.] Diuersis nominibus hisce intellige idem Numen: Lunam nempe, *Deorum Dearumque illam vniformem faciem, cuius Numen vnicum multiformi specie, vario ritu, nomine multijugo totus venerabatur orbis.* Verba sunt Authoris Milesia XI. Lunam autem præfuisse τοῖς ἐρωτικοῖς, Magorumque Venerem fuisse, doctissimè Seldenus monstrat iam laudati operis Syntag. 1. cap. 2. Videsis & προλεγόμενα eius de ista πολυωνυμίᾳ, quàm a

M

Magis eò oſtendit vſurpatam, vt virtutis carminibus plus eſſet, & facilior venia.

Neptunus cum Salacia, & Portunus cum omni choro Nereidum.] Philoſtrat. Heroic. Ποσειδῶν τε αὐτὸς, καὶ Ἀμφιτρίτη, Νηρηΐδες τε ξύμπασαι. *Salacia* vxor Neptuni. D. Auguſtin. 7. de Ciuit. &c. *Iam vtique habeat Salaciam vxorem Neptunus.* Nec aliud quàm mare. Miles. 4. *Grauis piſcoſo ſinu Salacia.* Gloſſ. *Salacia.* Ἀμφιτρίτη. Varro hoc nomine notat æſtus receſſum.

D. L. L. 4.

Portunus cum omni choro Nereidum.] Miles 4. *Nerei filiæ chorum canentes, & Portunus cærulis barbis hiſpidus.*

Magicas poteſtates.] Miles. 3. *Diſciplinæ Magicæ poteſtate.*

Qui vectem perfoſſor.] Feſtus, *vecticularia vita dicitur eorum, qui vectibus parietes alienos perfodiunt, furandi gratia.* Optatus (quem corrige) contra Donat. Lib. 2. *Diuinum opus malitia vectibus destruentes.* vulg. *militia* Gloſſ. *Vectis,* Μοχλὸς σιδηροῦς. Idem & *Laberna,* Gloſſ. Iſid. *Laberna, ferramentum latronum, graſſatorum, vel furum.*

Sicarius.] Gloſſæ Nomicæ, Σικάριος, ἀνδροφόνος: παρὰ τὴν σίκαν, ἥ ἐστι σιδηρᾶ μάχαιρα. Et quidem ſatis conſtat de *Sica.* at verò de *Cicra*, quam aliæ Gloſſæ ἀσπίδα λῃστρικὴν vocant, adeò in promptu res non eſt vt ne quærendum ſit.

Quin id poſſit.] Roman. Edit. *Quod non poſſit.*

Aliquid aliquà obeſſe.] Lucillius Sat. L. 26.

Euadat ſaltem aliquid aliquà quod conatus ſum.

Ad triſtitudinem intelligi.] P. Syrus.

Ad triſtem partem ſtrenua ſuſpicio.

Ad nequiorem ſuſpicionem trahuntur.] *Rapere in priorem partem.* vocat Terent. Adelph. Cicero *In contrariam partem.* Famil. 10. 33.

Pag. 39. *Propulſaſſe.* Edit. princeps Rom. *propulſatos eſſe,* atque ita Apuleium ſcripſiſſe Caſaubonus putat. Eò cadit *propulſos eſſe*, quod Clariſſ. Salmaſio placet; *ſic crines tonſus eſt* pro *totondit* apud Solinum: & in Gloſsis, *Compilatus eſt,* ἐσύλησεν: pro *compilauit.* Tacit. Annal. 13. *Illuſum eſſe, pro Illuſiſſe,* &

Ibid. 15. *Subnecta essent*, pro *subuexissent*. Coluius legendum censuit *propulsum isse*. Infra *Pari pertinacia prohibitum isse*. Iterum. *Vt videretur meritò vltum ire.*

Gulones, qui impenso pisces pretio à piscatoribus mercantur.] *Gulones* vocat quos Apollonius apud Philostrat. τῇ γαστρὶ πάντα χαριζομένους. *impenso pisces pretio mercari*, est quod ibidem τοὺς ἰχθύας ἀνεῖσθαι πλειόνος ἢ τοὺς κοππατίας οἱ λαμπροί. passim (vt in limine dixi) exprimit Apollonium Noster.

Impenso pretio.] Infrà. *Impenso pretio per piscatores quæsisse* &c. Cæsar. bell. Gall. 4. *Impenso parat pretio.* Gellius lib. 3. c. 17. *Quod impenso pretio Librum* &c. *emisset.* Cicer. ad Attic. 14. 13. *Minusculam verò villam vtique Quinto traditurum vel impenso pretio.* Hæc cò plura adduxi, vt loquutionem istam minus insolentem probem, mutatamque à viro magno haud citra noxam. Ait in vett. legi *Impendio à piscatoribus merguntur.* Ita Plinius de coquis. *Domini censum mergunt.* Plura de verbo βαπτίζειν in hac notione affert, non inelegantis obseruationis, sed quæ (vereor) locum heic non habent, si perpensa. Elmenhorstius etiam (cuius (ex fide membranas eum laudare puto) legi ait, non, *Qui impendio à piscatoribus merguntur*, sed, *Qui impendio pisces pretio à piscatoribus merguntur.* vnde rectè, & minima mutatione vulgati Codices, *Qui impenso pisces pretio à piscatoribus mercantur.*

Quorum moderatus vsus salutaris, commistio vel quantitas noxia.] Marcellus Carmine de Medicina.

Namque salutiferas disponit pagina curas.
Isthic reperies per nomina, perque medelas
Descriptas species, & pondera mensurarum;
Congrua quæ sapiens sumes moderamine recto;
Ne fallare vide, ne quæ sunt parta saluti,
Vertat in exitium non sollers cura medentis.

Imp. Manuel Paleolog. Orat. 5. Οὐ μόνον τὰ παρὰ τῶν ἰατρῶν, ἀλλὰ καὶ πάνθ' οἷς χρώμεθα, εἰ χρῷτό τις οὐ καλῶς, οὐδὲ μετὰ τοῦ προσήκοντος μέτρου, βλαβερὰ ἂν γένοιτο.

* *Eius mihi aut formam commemorent.*] *Commemorare* est *dicere.* Serenus Sammonicus.

Est & vis morbi quod telum commemoratur.

Suprà Noster. *De quadam saga ad hunc modum memorauit.* Gloss. *Commemora*, φράσον.

Medicinæ non ignarus.] Infrà. *Medicinæ neque instudiosus, neque imperitus.*

Vel si id nequierint,] Miles. 9. *Vel si id nequierint, certe larua, vel aliquo diro Numine immisso.*

Pag. 40. *Callidissimi accusatores mei, vt sibi videntur.*] Scribit eximius Casaub. *callidissimè.* at cur mutemus vulgatam lectionem? inest his verbis *vt sibi videntur*, εἰρωνεία, cuius infra simillima illa. *praacutè vobis repperisse videbamini.*

Interfeminium.] Onomast. vet. *Interfeminium*, τὸ γυναικεῖον. An & ita in Glossario legend.? vbi vulg. Μεσομήριον, *Interfemus.*

Interfeminium tegat, & femoris obiectu, & palmæ velamento.] Prorsus vt in isto signo Arundelliano.



cuius ſchematis etiam expreſſionem videre eſſet in Mileſiis, ſi liceret per caliginem ſpiſſam illam corruptorum Codicum. legitur, *Glabellum feminal roſea palmula obumbrans de induſtria, quam tegens verecundia.* Editt. Rom. & Ald. *Glabellum feminal vel. roſea palmula obumbrans* &c. Codex. MS. meus, *G. f. vel; ros. pal.* &c. quæ certe ſcriptio proxime à vero abeſt: lege ex compendii veſtigiis, *velamento roſea palmulæ*, Miles. XI. *velamentum naturale* vocat.

At ego illi contra iuſtius exprobrauerim &c.] Fallit Cl. Sauaro, dum heic innui Æmilianum putat. cauſſas is nunquam egit, *homo agreſtis & barbarus: vir vltra Virgilianos opiliones & bubſequas rusticanus*: vt quidem paſſim indigitat eum Apuleius noſter. τὸ *illi* refer ad Tannonium, de quo ſuperius.

Fringultiat.] Infra de eodem. *Vix ſingulas ſyllabas fringultientem.* Vbi vide notata nobis.

Quibus tandem verbis accuſaſſes crimen illud &c.] Non aliud eſt hoc crimen quam balbuties illa. quod eò moneo, vt ne prima facie impingant alii itidem vt ego feci, dum hoc crimen nimis longinque inueſtigarem Cur autem Naturæ vitium appellat crimen? puto. quòd cum præ infantia adeo inepte blatteraret, eloquentiam non timuit profiteri, & Patronum agere.

Veretillum.] Gloſſæ & Onomaſt. vet. *Veretrum*, Αἰδοῖον. Gloſſæ Arabico-lat. *Veretrum, portum orinum.* Legerim tantiſper *porcum marinum.* V. in voce Αλεσσύελος Etymologum. Iſid. Orig. Lib XI. cap. I.

Virginal.] Idem in Gloſſ. *Virginal, membra virginis in quo habitat.* fors; *V, membrana virginitas in qua habitat.* Omnino altera lectio nil expedit.

Pag. 41. *Eliciendos mortuos.*] Expreſſit voce aptiſſima vim eam quam paſſim Magicis carminibus tributam videas. Neque alio putem ferenda quæ in Gloſſis lego, *Elicuit*, Ἐξεβιάσατο. *Eliciens*, Ἐκβιαζόμενος. *Elicia* hæc ψυχαγωγίας vocat Max. Tyrius Diſſert. 13. Iuſtin. Mart. Apolog. 2.

ψυχῶν κλήσεις. Miles 1. Noster, *Manium sublimationes.*

Marino caluaria.] scilicet propter ὁμωνυμίαν terrenæ, quæ in maleficio frequens. Miles. 3. Noster (officinam feralem deformans.) *Hic nares & digiti, illic carnosi clavi pendentium, alibi trucidatorum seruatus cruor, & extorta dentibus ferarum trunca caluaria.* Petronius de saga vetula. *Pannum de carnario detulit furca, in quo faba erat ad usum reposita, & sincipitis vetustissima pars mille plagis dolata.* Ioannes Sarisburiensis, vbi de maleficijs Iuliani. *In Carris aperto templo, quod usque ad reditum suum clausum esse praeceperat, inuenta est mulier capillis appensa, manus extensas habens, aperto vtero: in cuius iecore euentum belli Persici fuerat speculatus. In Antiochia quoque arcas in Palatio plurimas, humanis capitibus plenas inuenerunt. Humana capita* ista non alia quam *caluaria* puto. Lib. 1. cap. 21.

Nugas marinas, & quisquilias littoraleis.] Puta, *Conchiliorum reduuias*, vt apud Solinum. *Muricum, ostreorumque fragmenta*, vt apud Melam; φυκία καὶ βρύα, ἐκβαλλόμενα εἰς τοὺς αἰγιαλοὺς καὶ εἰς τὰς ψάμμους, ἄπειρα πάνυ, καὶ οὐδὲ ὀνομαζόμενα. Ita eas in Epistolis designat Iulianus.

Nugas, & quisquilias.] Iunxit easdem voces etiam prima Miles. *At has quisquilias* (inquit) *quanti parasti?* & continuo; *A quo istorum nugamenta hæc comparasti?*

Nescisse vos quid à me quæsitum fingeretis.] D. Hieron. Apolog. 3. in Ruffin. *Ex quo apparet iuxta inclyti Oratoris sententiam, se voluntatem habere mentiendi, artem fingendi non habere.* Idem Præfat. Lib. 4. in Hierem. *Habentes quidem voluntatem & rabiem mentiendi, sed artem fingendi & latrandi non habentes.*

Congestim & aceruatim.] Miles. 4. *Pulmentis aceruatim, panibus aggeratim, poculis agminatim ingestis.* Glossæ, Σωρηδὸν, *Aceruatim, conceruatim*, lege *coaceruatim.*

Quamlibet leuiter motis flucticulis.] Seneca de Benef. Lib. 1. cap. 9. *Paululum duntaxat vltro aut citro mota, vt fluctus.*

Foras euoluuntur.] Quidam *foros*, alij *oras.*

Conchulam striatam.] Plinius. *Striata concharum modo.*

Sidonius Lib. 4. Epist. 8. *Quod posset aptari conchæ capaci, quæ per ansarum* (lego *ansatum*) *latus vtrumque, in extremum gyri à rota fundi, senis cauatur striaturis.* Glossæ *Striata.* Συσπαρτά. V. Vitruuium Lib. 4. cap. 4. Palmariam corruptæ vocis huius restitutionem debemus Coluio ad 2. Florid. Edebatur *decoris histricis*, & *decoris instrumentis*: correxit acutus iuuenis, *decoris striis.*

Testam hebetem.] Meursius in Criticis Exercitationibus legit *Testulam hiascentem.* (sic & prima Miles. *Lagena orificio cessim dehiascente.* quo loco Libri omnes habent *debiscente.*) Steuucch. *hiantem*: Scipio (ex Roberti Titij restitutione,) *hebetem*: quod quia cuiusmodi sit, non capio, non dicam hebes commentum esse. Præfero interdum coniecturam Brantij, *albentem.*

Assertion. L. 7. cap. 9.

Lolligiuum ligulas.] V. Sidonii Expositores Lib. 1. Epist. 2.

Lib. 7. c. 6.

Assulas.] *Fomites* appellant Festus & Isidorus, suntque propriè de ligno. Noster ad lapides transtulit, vt & Vitruuius. Vet. Onomast. *Assula*, Σχινδαλμός.

Ostrea Pergami vermiculata.] *Ostrea vermiculata* putem quorum testæ minutis maculis insignitæ sunt, aut potius paruis foraminibus velut ligna vermibus exesa: (vnde apud Varronem, ni fallor, *facies vermiculata*) at quid de media voce statuemus? maximus Casaubonus portentum aliquod heic latere putat, fatens non videre se quo acumine tolli possit. Salmasius *frustra Pergami vermiculata* legit. Vide vt apud Solinum se explicat, pag. 933. Brantius, *Ostreorum terga vermiculata*, vt apud Plautum, *Tergum vlceribus ostreatum.* Malim ego (vt cuique arrident sua) *Ostreorum terga leuigata.* h. e. leuia, splendentia, ab assidua iactatione. Minuc. Octau. *Testam teretem, iactatione fluctuum leuigatam.* Gregor. Nazianz. Orat. 28. φυκία καὶ κήρυκας, καὶ τῶν ὀστρέων τὰ ἐλαφρότατα.

Ταφῆ Μενιπ.

In Pænul.

Maris eiectamenta] Tacit. German. *Iacebat inter cætera maris eiectamenta.* Curtius Lib. 9. *Maris purgamenta.*

Vbique littorum.] Sic loqui amat Noster. Infra. *Vbicunque locorum.*

decorum. In Milesiis, *vbique itineris*, *vbique gentium*, & similia, quæ cum probam Antiquitatem præferant, hincinde exulant tamen.

Ventis expelluntur, salo exspuuntur. Nazianz. vbi suprà. Ἐξωθεῖτο καὶ ἀπεπλύετο. *Spuere* signantius dixit. Solinus, *Mari incito exspuuntur.* Carminis de Sodoma Author in Tertulliani Libris,

——*Maris exspuit æquor.* Catullus,

Quod mare conceptum spumantibus exspuit vndis.

Spuria.] Græciæ subsiciuæ vox est. Plutarch. Quæst. Roman. Τοὺς Σαβίνους φασὶ τὸ τῆς γυναικὸς αἰδοῖον ὀνομάζειν σπόριον. De Etymo rectè Casaub. Σπόριμα μόρια.

Cancer ad vlcera] Ὁ καρκίνος πρὸς τὰ καρκινώματα. Casaub. Pag. 42.

Alga ad querquerum.] *Querquerum* Gentili algor est, vel stridor frigidus, qui vt plurimum febricitantibus oboritur, quum dentes collidunt, ita etiam accepisse videtur Minuc. in Octau. & nescio qui alii apud Festum. At si *querquerum* ex se frigidum, ad quid *alga*? vt intendatur frigus? nugæ. *algam* facetè Apuleius vt remedium caloris posuit: *querquerum* itaque censeamus oportet febrem calidam & siccam. Vise vocem eam ap. Guicciard. Ling. Harmon. Etymolog.

Proxima humanitate.] Pontanus & Stevvech. legunt *prolixa*, vt infra, *vxoris prolixam liberalitatem*. Lipsius *prima*: Coluius *plurima*: Ego nil muto. *proximum* est *manifestum*. V. quæ notamus supra ad ea, *proximum argumentum*.

Hasce eorum argumentationes.] Legebam *argutationes*, at abstineo. Infra. *Ad aliam speciem argumenti.*

Inuincibilia.] Non est vt legat quispiam, *Ineuincibilia*. Florid. 4. *Ratio conclusa acriter*, *& inuincibiliter.*

Præcipiti æuo, & occidua senectute.] Abest ab edit. Rom. illud *æuo*. Cicero in Epist. *O meam calamitosam, & præcipitem senectutem!* Mattius ad eundem *Ætate præcipitata.* Vbi frustra doctiss. Columna, *pessum acta.*

Occidua senectute.] Pollux Onomast. Lib. 2. cap. 2. *Notis ad Ennium.*

Λέγονται δ' αἱ καθ' ὑπόδυσιν, ἐπὶ δυσμαῖς βίου. Hesychius. Δυσμαῖς βίου, τὸ τέλος τῆς ζωῆς. Prudent. Cathemer. *Occasus vitæ.*

Postumam.] h. e. *postremam*, sic Miles. 6. *Postuma diligentia.* Gloss. ibid. *Postumus vltimus, nouissimus.*

Pag. 43. *Si opera est.*] Non temere in *operæ* mutandum recte Coluius monuit. passim apud Plautum vtrumque sine delectu occurrit.

De magicis meis.] Aut εἰρωνικῶς loquitur, aut legend. *Physicis.*

Prome tu librum ex Græcis meis, quos forte heic amici habuere.] Scribe periculo meo, *Si quos forte* &c. Infrà, *Dicite aliquis, si quis fortè meminit huius loci principium. Audisne Maxime multos suggerentes? imo ecce iam Liber offertur.* Addam è Marciano Capella locum, ad hos Authoris nostri appositissimum, interpolatum autem pessimè etiam in optima editione. Extat libro 6. extremo, vbi de Geometria. *Quo dicto complures* (lege *cùm plures*) *Philosophi qui vndique secum* (lege *secus*) *constipato agmine consistebant, primum Euclidis Theorema formare eam velle cognoscerent, confestim acclamare Euclidi, plauderque cœperunt, cuius laudibus etiam ipsa Geometria plurimum gratulata, se per sectantis gloriam sublimari prouehique cognoscens, ab eodem* (lege *à quodam*) *Libros eius* (*quos casu apportari conspexerat*) *festina corripuit* &c.

At quintum maximè.] Nec spernenda codicis Florent. lectio. *atque eum maximè.*

Æmulus.] Συναγωνιζόμενος, nec Euripidi solum, sed & Æschylo, Cherilo, Aristeæ, aliis.

Et superstes.] Annos sex, si Suidæ fides. alij, iique plures, vtriusque emortualem diem vno eodemque anno statuunt. V. Cl. Seldeni not. ad Marmora Arundeliana.

Vixit enim ad extremam senectutem.] Annum propè centesimum. Lucian. Macrob. Valerius, alij.

Extremam senectutem.] Tacit. Annal. 4. *Lentulus senec-*

ætatis extremæ. Nepos de Attico, *Quum septem & septuaginta annos complesset, adque ad extremam senectutem* &c. *creuisset.* alibi *extremam ætatem* vocat : vt & Salust. Catilin.

Quum accusaretur à filio suo dementiæ.] Quemadmodum patribus licuit filios abdicare, sic apud Athenienses filiis hoc in patres iuris concessum, vt legitima extante caussa eos παρανοίας *postularent. Aristophanes* Νεφελ.

Οἴ μοι τί δράσω παραφρονοῦντος τοῦ πατρός;
Πότερον παρανοίας αὐτὸν εἰσαγαγὼν ἕλω,
Ἢ τοῖς σοροπηγοῖς τὴν μανίαν αὐτοῦ φράσω;

Plato de legibus Lib. XI. Διαφοραὶ πατέρων τε πρὸς αὑτῶν παῖδας γίγνονται, καὶ παίδων πρὸς γεννητὰς μείζους ἢ χρεών, ἐν οἷς οἵ τε πατέρες ἡγοῖντ' ἂν δεῖν τὸν νομοθέτην νομοθετεῖν, ἐξεῖναι σφίσιν ἐὰν βούλωνται, τὸν υἱὸν ὑπὸ κήρυκος ἐναντίον ἁπάντων ἀπειπεῖν, κατὰ νόμον μηκέτ' εἶναι, υἱεῖς τε αὖ σφίσι πατέρας ὑπὸ νόσων ἢ γήρως διατιθεμένους αἰσχρῶς, ἐξεῖναι παρανοίας γράφεσθαι. sed hoc cunctanter, perque ambages faciendum fuit, ne tam grandi insimulationi par omnino inuidia adesset. Morem postulationis distinctius ex eodem ponam. Ἐὰν δέ τις τινὰ νόσος ἢ γῆρας ἔκφρονα ἀπεργάζηται, καὶ λανθάνῃ τοὺς ἄλλους πλὴν τῶν συνδιατριβόντων, οἰκοφθορῇ δὲ ὡς ὢν τῶν αὐτοῦ κύριος, ὁ δὲ υἱὸς ἀπορῇ, καὶ ὀκνοῖ τὴν τῆς παρανοίας γράφεσθαι δίκην, νόμος αὐτῷ κείσθω. πρῶτον μὲν πρὸς τοὺς πρεσβυτάτους τῶν νομοφυλάκων ἐλθόντα διηγήσασθαι τὴν τοῦ πατρὸς ξυμφοράν, οἱ δὲ καθιδόντες ἱκανῶς, ξυμβουλευόντων ἐάν τε δέῃ γράφεσθαι, καὶ ἐὰν μὴ τὴν γραφήν : ἐὰν δὲ ξυμβουλεύωσι, γιγνέσθωσαν τῷ γραφομένῳ μάρτυρες ἅμα καὶ σύνδικοι, ὁ δὲ ὄφλων τοῦ λοιποῦ χρόνου ἄκυρος ἔστω τῶν αὐτοῦ καὶ τὸ σμικρότατον διατίθεσθαι, καθάπερ παῖς δὲ οἰκείτω τὸν ἐπίλοιπον βίον. Similem moderationem relligionemque Quintilianus præcipit. *Dementiæ iudicia* (inquit) *aut propter id quod factum est, aut propter id quod adhuc fieri vel non fieri potest, instituuntur; & actor in eo quod factum est, liberum habet impetum, sic tamen vt factum accuset, ipsius Patris tanquam valetudi-*

ne lapsi misereatur; in eo verò cuius libera mutatio est, diù roget & suadeat, & nouissimè dementiam rationi queratur obstare, non mores; quos quanto magis in præteritum laudauerit, tanto faciliùs probabit morbo esse mutatos. V. l. *quique litigandi. D. de in ius vocand.* & l. *parentes naturales D. eod.* Dabantur filijs autem in Tutelam, potiùs quam extraneis. l. 12. §. 1. D. *de Tutor. & Curat.* Sophoclis porrò historiam narrant Cicero, Valerius, Plutarchus. Quod ait *filio* Noster (qui Luciano & Aristophani *Iophon*) aduertendum Ciceroni & Plutarcho plures memoratos.

Quasi iam per ætatem desiperet.] Ita Græcus eius βιογράφεὺς, ὡς ὑπὸ γήρως παραφρονῶν. Cicero. quod in Oeconomia æquo negligentior. & fors hoc verò propius, nam non alio nomine accusatus publicè Democritus, non alio modo purgat se quàm quo Sophocles noster Athenæus 4. Δημόκριτον Ἀβδηρῖται δημοσίᾳ κρίνοντες, ὡς κατεφθαρκότα τὰ πατρῷα, ἐπεὶ ἀναγνοὺς αὐτοῖς τὸν μέγαν διάκοσμον, καὶ τὰ περὶ τῶν ἐν ἅδου, εἰπὼν εἰς ταῦτα ἀνηλωκέναι, ἀφείθη. Ferè eadem Laërtius.

Per ætatem desiperet.] Gellius Lib. 1. cap. 19. *Quasi anus ætate desiperet, risit.*

Coloneum peregregiam Tragœdiarum.] *Qua sola fabula omnium eiusdem studij Poëtarum præripere gloriam potuit.* Verba sunt Valerij Lib. 7. cap. 7. Somniabam aliquando τὸ *Poëtarum* à Glossatore fuisse.

Omnes Iudices tanto Poëtæ adsurrexisse.] In plausum nempe. Phædrus. *In plausus consurrectum est.* Sueton. in August. *Assurrectum ei ab vniuersis, & à stantibus plausum.* Arnob. Lib. 4. *Conclamant, & adsurgunt Theatra:* Author Dial. de clar. Orator. *Testis ipse Populus, qui auditis eius* (Virgilij) *versibus, surrexit vniuersus.* Græci *ἀναπηδᾷν vocant*, & ὑπανίστασθαι.

Miris laudibus eum tulisse.] Plutarchus, Θαυμαστοῦ δὲ τοῦ μέλους φανέντος, ὥσπερ ἐκ θεάτρου τοῦ δικαστηρίου προπεμφθῆναι, μετὰ κρότου καὶ βοῆς τῶν παρόντων.

Nec ita multum omnes abfuisse, quin &c.] Imo nihil abfuiſſe ait Lucianus Patrem enim abſolutum narrat, & condemnatum filium. Μακροβ.

Lege pauca &c. *Tu interea* &c.] Illa ad Scribam refer, hæc ad Apparitorem, ἐφύδωρα.

Interea dum legit] Supra proximè, *Intereà dum hic quæris.* ne quid forte putes παρέλκειν.

Aquam ſuſtine.] *Sic in Attico foro.* Demoſt. κατ' Κόνων: Λέγε αὐτοῖς ταύτας τὰς μαρτυρίας, σὺ δ' ἐπίλαβε τὸ ὕδωρ. Et κατ' Στεφαν. Λάβε δ' αὐτὴν τὴν μαρτυρίαν, καὶ ἀνάγνωθί μοι, σὺ δ' ἐπίλαβε τὸ ὕδωρ.

Audiſti Maximè, quorum pleraque ſcilicet legeras.] Infrà ad eundem. *Admonendus mihi es, non docendus.* Paſſim eruditionis nomine blanditur Proconſuli.

Feminæ ſubent, mares ſuriant.] Paulò argutius hæc quam pro more dicta: non enim vſus loquendi hoc diſcrimen admittebat. *Subare* de maribus efferri ſolitum Coluius notauit: ego *ſurire* dictum & de fæminis docebo. Feſtus Pompeius. *Sues immundiſsimi ſunt ex omni pecore manſueto, & ardentiſsimæ libidinis: ita vt opprobrium mulieribus inde tractum ſit, quum ſubare & ſurire dicuntur.* Vbi male expungit vir doctus τὸ *ſurire*: nam & κα̣πρᾶν, vt exponitur *ſurire* in Gloſſario, Ariſtoteles de ſequiore ſexu protulit, Lib. 6. de animal Euſtath. ad Iliad. λ. Καπρᾶν ἐκ τοῦ κάπρου λέγεται, τὸ ἀσελγαίνειν: ὅθεν καὶ γυνὴ καπρῶσα, ἡ ἀσελγής. Scaliger tamen ex hoc loco Authoris noſtri καπρᾶν tantum ad mares refert. De *ſubare* & *ſurire* non recoquo quæ iam alij. V. Paul. Leopard. Emend. Lib. 2. cap. 10. Ritterhuſ. ad Oppian. Κυνηγετ. 3. Pag. 44. Not. ad Varr.

Ita enim appello, quæ Græci &c.] Lege ex MSS. *Ita enim Latine appello* &c.

Ne operoſe animalium genita pergam.] Emendauit certiſſimè Caſaub. *Ne per omnes animalium genitus pergam.* ſuprà, *De genitu animalium.* τὸ *operoſè* non dubium eſt ex ſcripturæ veteris compendijs irrepſiſſe.

Peritiam.] Gloſſ. Επιςήμη. *Diſciplina, peritia.*

Ea tamen nomina labore ac studio meo ita de Græcis prævenire, vt tamen Latina moneta percussa sint.] Senec. Præfat. Lib. I. Controuers. *Hoc verò alterum nomen Græcum quidem est, sed in Latinum ita translatum, vt pro Latino sit.*

Vt tamen &c.] Displicet illepida geminatio τοῦ *tamen*: suauius ad aures, quidni & sententiam? legas *tanquam*.

Moneta.] Gloss. Τόπος, τὸ χαράγειον: *moneta.*

Latinè hæc pronuntiata vocabula.] Ego fidenter scripserim, *enuntiata.* infra heic, *Latinè a me enuntiata.* & in de Deo Socratis. *Si paulisper opperiamini, Latinè enuntiabo.*

Magica nomina Ægyptio vel Babylonico ritu percenseri.] Αἰγυπτιάζειν τῇ φωνῇ vocat Lucianus Lapith. & Philopseud.

Græca vocabula. &c.] Hæc in contextus seriem coniicere nos ausi sumus ex Elmenhorstij fide, qui primus ea in Notis suis exhibuit è Florentino Codice, legi quo pacto debent autem, non docuit. Eorum integram medelam à me nolo expectari, cum nonnulla existimem corruptiora quam vt vllatenus restitui possint. Cæterum quæ certius assequutus videor, ferè hæc sunt. Pro Cελυxecx lego σελάχια· h, e, *cartilaginea*: pro χελαxειυ, μαλάκια, h, e, *mollia.* pro χελαxoCTPaxα, μαλακόστρακα: nempe, *crustis tenuibus contecta.* pro oCτεαxoΔepNα, ὀστρακόδερμα: h, e, *testis duris conclusa.* pro ιN φιbια, ἀμφίβια: nempe *quæ terra simul ac mari degunt*, pro φoλια.ωτα, φολιδωτὰ: h, e, *squamosa.* pro depxόπlεeα, δερμόπτερα: scil. *quibus cutis pro alis est.* Reliqua felicioribus ingeniis eruenda delego.

Pag. 45. *Secundum Cynicam temeritatem rudi, & indocto.*] Infra, *Mollitia rudi & indocta.*] *Rudis & indoctus*, est qui (vt Cynici) neque Gratiis, neque Musis litauit. Athen. Deipnos. Οὐχ ὥσπερ σὺ Κυνικέ, ὁ μηδέποτε ταῖς χάρισιν, ἀλλ' οὐδὲ ταῖς Μούσαις θύσας. Hinc apud Plautum Bacchid. *Indocti mores*: ex quo corrigendus apud Nonnium Cæcillius;

Quid narras barbare cum indoctis moribus?

nam vulgò malè editur, *indomitis.*

Vtrum ei (Philosopho) *putas turpe scire ista, an nescire?*] Trypho Hebræus apud Iustin. Martyr. Τί γάρ; οὐχ οἱ φιλόσοφοι περὶ Θεοῦ τὸν ἅπαντα ποιοῦνται λόγον; καὶ περὶ μοναρχίας αὐτοῖς καὶ προνοίας αἱ ζητήσεις ἑκάστοτε γίνονται; ἢ οὐ τοῦτο ἔργον ἐστὶ φιλοσοφίας ἐξετάζειν περὶ τοῦ θείου;

Prouidentiæ ratio.] Florid. 2. *Vtcunque Prouidentiæ ratio poscebat.*

De Dijs immortalibus Patri & Matri credere.] Deridet Philosophico more imperitam multitudinem, quæ aut inuestigandæ veritatis tædio succumbit cuilibet opinioni, καὶ ἐπὶ τὰ ἕτοιμα τρέπεται μᾶλλον, (vt in Argumento pari Thucydides:) aut, vt potior pars perculsa timore nescio atque inani, Parentum relligiones suscipit, ac cæcos ritus. Minuc. Octau. *Has fabulas & errores, & ab imperitis parentibus discimus: & (quod est grauius) ipsis studiis* &c. *elaboramus.* Prudent. Lib. 1. contra Symmach.

——----Sic obseruatio creuit,
Ex atauis quondam malè capta, deinde secutis
Tradita temporibus, serisque nepotibus aucta,
Traxerunt longam corda inconsulta catenam,

confer quæ in Sat. 14. Iuuenalis.

Q. Ennius Ædes Phagitica.] Quanta heic interpretes! Equidem hanc ἐπιγραφὴν, etsi ante eam corruptam fateor, ex eorum interpolationibus euasisse corruptiorem puto. Quid opus est *Edestis*, aut *Phagycis*, aut *Hedypatheticis*? innitamur vestigiis MSS. editionumque principum: habent ea *Hedyphagitica*, & (quod posuimus) *Ædes Phagitica.* Ex his suspicari licet scripsisse Ennium Ἡδυφαγητικὰ, aut certe Ἰχθυφαγητικά.

Clupea.] Quæ & *Aspis.* Strabo Lib. 6. Solin. cap. 17. Meminerunt Stephanus etiam, Plinius, & Lucanus.

Mures sunt Æni.] V. heic Casaub. & ad Athen. Lib. 3. cap. 13.

Mytilene est pecten.] Scalig. Not. ad Catal. *Mitylus & pecten.*

Caperque apud Ambracienses.] Cod. Florent. *Caradrum apud Ambr.* Coluius, *Carabum.*

Not ad Ennium.

Sume, apriculum piscem scito &c.] Hieron. Columna, *Sume, ast apriculum scito* &c. quasi scil. τὸ *piscem* ex margine irrepsisset. Ego non probo, nam cur glossam eiusmodi, vbi loci totius series de piscibus est? imò supra eodem modo loquutus Noster, *Aut venandis apris* (inquit) *piscem apriculum.* Etsi non negem signantius, & ad discrimen dictum.

Surrenti fac emas glaucum, Cumas apud, at quid Scarum praterij?] Scipio *Surrenti bocam*, vel *Surrenti phagen.* Alius, *Surrenti fac emas glaucum : Cumis apuas: quid Scarum* &c. Scalig. vbi supra. *Surrenti chemas.* alibi tamen *lopadas* scribit, quod & video Columnæ placere. Cod. Florent. *Surrenti Telorem fac emas.* V. Coluij Notas.

Cerebrum Iouis.] παροιμιακῶς. V. Adag. Διὸς ἐγκέφαλος.

Nestoris ad patriam hic capitur.] Aliter Archestratus.

Καὶ σκάρον ἐν Χαλκηδόνι τὸν μέγαν——

& Petronius——— *Siculo scarus æquore mersus.* an & hinc Gellius corrigendus Lib. 7. cap. 16. vbi vulgò *Scari Cilices?*

Caluaria pinguia.] Malim vt Columna, *c. pinguis.* suprà huius piscis mentio. *Eliciendis mortuis marina caluaria.* Eundem *Orchi* aut *Orbi*, de quo Plinius, idem Columna putat, sed is neutiquam è numero edulium, vt & Bellonio visum. melius *Cephaleam* putes esse, nam & in Gellii MS. *Cephalæaque Aterna* legisse se Turnebus ait.

Aduers. 21. 21.

Aterna.] Abeat Columnæ coniectura, qui *atarnam* piscem intelligit. annon æquius est, vt & in cæteris, ita heic locum designari? *Aterna* oppidum inquam est, de quo Stephanus.

Deipnos. 3.

Dulces quoque Echini.] Etiam γλυκεῖς eos Athenæus vocat, at ὑπολαμβανομένοις μετ' ὀξυμέλιτος, καὶ σελίνου, καὶ ἡδυόσμου. Massilienses verò ob natiuum saporem, quibus vulgò *Doussins.* Bellon. de piscibus Lib. 2.

Et vbi

Et vbi gentium quisque eorum inueniatur, qualiter assus aut iussulentus optimè sapiat.] D. Hieronymus (μιμητικῶς) Epist. ad Nepotianum. *Noui nomina & genera piscium, in quo littore concha lecta sit, calleo: sapores auium discerno, & prouincias.* Iuuenalis Sat. 14.

——— Nulli maior fuit vsus edendi
Tempestate mea: Circeis nata forent, an
Lucrinum ad Saxum, Rutupinóue edita fundo
Ostrea, callebat primo deprendere morsu:
Et simul adspecti dicebat littus Echini.

quin & aptius in hanc mentem Boëtius quàm vt obmitti debeat.

Ipsos quinetiam fluctibus abditos, De consol. lib. 4.
Norunt recessus æquoris:
Quæ gemmis niueis vnda feracior,
Vel quæ rubentis purpuræ:
Nec non quæ tenero pisce, vel asperis
Præstent echinis littora.

cuius loci me admonuit doctiss. Burdelotius.

Alios etiam multis versibus. &c.] malim *multos*, vt nimirum *pisces* intelligas.

Iussulentus.] Miles. x. *Pisces exotico iure perfusos.*

An remedia nosse, & ea conquirere.] Florid. 2. *Remedia* &c. *terra, cæloque, ac mari conquisita.* sed in hoc Apologiæ loco legerim, *An ea remedia nôsse & conquirere?* qui pressius verba inspexerit, mecum sentiet.

Ad suppetias.] Vocem militiæ propriam, ad medicinam transtulit.

Veteres quidem carmina remedia vulnerum norant.] Pindar. Pyth. Od. 3 & ibi Scholiast. Virgil.

———Neque eum iuuere in vulnere cantus.

Marcian. Capel. *Febrem curabant vulneraque veteres cantione.* Medendi modus tractus à Pythagora. Porphyr. in vita eius. Iamblich. cap. 29. & 34.

Omnis vetustatis certissimus Author Homerus.] suprà de eodem. *Poëta multiscius, vel potius cunctarum rerum apprimè*

peritus. Et Miles. 9. *Priscæ Poëticæ diuinus Author apud Graios*. Plinius Lib. 25. cap. 1. *Homerus, primus doctrinarum & Antiquitatis parens*. Antigonus Caryst. Ὅμηρος, ποιητὴς περὶ πάντων ἐπιμελὴς, καὶ πολυπράγμων.

Nihil quod salutis ferendæ gratia fit, criminosum est.] En tibi illorum temporum impietatem: dignam sane quæ verbis grauissimis increpetur, ni & secutis, quibus penes Christianos Imperium, eadem licentia durasset, vt ex L. *eorum* patet, Cod. *de Malef. & Mathem.* Emersit tandem Leo qui compressit penitus. Vide Constitut. eius 65. περὶ τῆς κολάσεως τῶν μαγγανείᾳ χρησαμένων.

Aristoteli.] Perperam in quibusdam Libris. *Aristotelis*. Infrà *Ex lectione & æmulatione Aristoteli*. συνίζησις patrij casus à recto veteri *Aristoteleus*. Miles. 1. *Vlyssi astu deserta*. Infrà heic, *Vltrà Vlyssi vota* &c. *oculatus*. Vtrumque inflexionis modum obtinuisse è Varrone discas. L.L.L. 7. Adi Grammaticos etiam Diomedem, Seruium, Priscianum.

Ego nihil clanculo, sed omnia in propatulo ago.] Plautus Trinummo.

Nil ego in occulto agere soleo ———

Suetonius de Augusto. *Filiam & nepotes ita instituit, vt vetaret loqui aut agere quidquam, nisi propalam.* Velleius Paterculus de Druso Lib. 2. *Quum ædificaret domum in Palatio, in eo loco vbi est, quæ quondam Ciceronis, mox Censorini fuit, nunc Statilij Sisennæ est: promitteretque ei Architectus ita se eam ædificaturum, vt libera à conspectu, immunis ab omnibus hominibus* (legebam *omnium luminibus*) *esset, nec quisquam in eam despicere posset: Tu verò inquit, si quid in te artis est, ita compone domum meam, vt quidquid agam ab omnibus perspici posit.*

At quiuis.] Melior quorundam lectio, *Vt quiuis*.

Extrarius arbiter.] Tertullian. Apolog. *Eò magis, quia nec verebatur extraneos arbitros.*

In primori fronte animum gestare.] Symmachus. *Te in primori affectionum mearum fronte constituo.* Lucretius L. 4.

——— *Iam prima in fronte parata.*

Nec dum etiam decerno quid vocem, nisi quæram sanè accuratius.] Florid. 3. *Haud dum hercle reperio, sed quæram sedulo.*

Solus ille quod sciam, cum sit cætera exossis &c.] Fallitur Bellonius qui hæc de *Lepore marino* capit. refer tu ad pisciculum illum, quem quidem accusatores eius *leporem* vocarunt, Apuleius autem nesciuit quo nomine insignitum iret. neque debuit Gentilis hæsitare in re adeò manifesta.

Duodecim numero ossa.] τὸ *numero* παρέλκει, & id adeò frequenter in Authore nostro, vt si exempla congerere liberet, occupandæ paginæ forent. Symmachus (quem putem emendandum, etsi non in voce ea:) *Piget dicere in quinque numero solidos potissimùm subscripteris fuisse legatum.* legerim *potissimi*, i, e, *honestissimi*, nam signabant plures.

Rusparer.] Gloss. Isidori. *Ruspantur, perquirunt anxiè.* Glossæ Philoxeni, *Ruspinat* Χειρολεβεῖ.

Hepatia suffoderem. Onomast. vet. *Iecuscula*, Ἡπάτια. Lucillius (Coluio notatus) *Gigeria sunt, siue adeo hepatia.*

Suomet obsonio dixit.] Casaubonus *vixit*, sensu minus viuido. Benè Florentinus Codex *discit*, *structuram*, vel *scissuram* nempe. Ars hæc Doctores & discipulos habuit, vti hodie etiam apud Germanos. V. Dusæ ad Arbitrum Præcidan. 1. 16. Lips. Saturnal. 2. 2.

Eam rem non putares accusandam? atqui maius crimen est Philosopho comesse pisces quam inspicere.] En tibi librorum omnium scripturam interpunctionemque: vtramque vitiosam, imò adeò putidè corruptam, vt hic locus semimortuus iaceat, si non interfectus. Vis postliminio redeat? aufer è medio interrogationis notam, post lege & interpunge mecum ad hanc faciem. *Atqui maius crimen est Philosopho inspicere pisces quàm comesse?* Locum perpende iam, & si quid merui, repone.

An hariolis licet iocinera rimari?] Propriè *iocinera.* οὐ γὰρ πᾶσι τοῖς σπλάγχνοις οἱ μάντεις ἐχρῶντο πρὸς δήλωσιν τῶν ἐσομένων, ἀλλὰ τῷ ἥπατι μόνῳ. verba sunt Nicephoræ

ad Synes. περὶ ἐνυπν. Petronius. *Recluso pectore extraxit fortissimum iecur, ac inde mihi futura prædixit.* Apollon. ap. Philostrat. τὸ ἧπαρ, ἐν ᾧ φασι τὸν τῆς αὐτῆς μαντικῆς εἶναι τρίποδα, οἱ δεινοὶ ταῦτα. Festus generalius paulò. *Cuius ad exta inspicienda conducuntur harioli.* hinc ὑπαρχτικῶς *Inspicia* apud Tertullianum, quæ *Fissiculationes extorum* Noster & Capella vocant. Abrogata hæc deliria ab Impp. Valerian. Gratian. & Theodos. L. 2. Cod. de *Pagan. & Sacrif.*

l. contra Marcion. De Deo Socratis. De nup.&c. L. 2.

E Bibliothecis.] *Publicis* nempe, de quibus infrà etiam mentio occurrit.

Magicis artibus] Otiosa hæc, neque per me stat quo minus exturbentur.

Pag. 48. *Legisse me Theophrasti quoque περὶ δακετῶν καὶ βλητικῶν, & Nicandri Θηριακά.*] Veteres editt. *Legisse me Theophrasti quoque περὶ * & Nicandri Θηριακά* .... Hiatum priorem suppleuit Casaubonus. Sclrottus vtrumque in hunc modum farciuit. *Theophrasti quoque* Περὶ ζώων ἐν ξηρῷ διαμενόντων, *& Nicandri* Θηριακά καὶ Ἀλεξιφάρμακα.

Obser. Human. 5. 13.

Desquamari.] Onomast. vetus *Desquamo* Ἐκλεπίζω.

Exdorsuari.] Festus *Exdorsua, dorsum confringe: alij exime.* Nonnius. *Exdorsuare, dorso nudare.* Vet. Onomast. *Exdorsuo*, Ἀποιοπίζω.

Puerum quempiam carmine cantatum.] Tertull. Apolog. *Magi phantasmata edunt, defunctorum inclamant animas, pueros in oraculum eloquij eliciunt.*

Remotis arbitris, secreto loco.] Sequitur continuò, *paucis conscijs testibus.* non heic me extrico: puto locum in mendo esse. *si remotis arbitris*, quomodo *testibus conscijs?*

Arula & lucerna.] Scio quid iam aliis notatum de *aris Magicis* ex Virgilio, Flacco, Lucano, alijsque. vellim hoc loco tamen legi *arculâ*. Recte *lucernæ* iunxit autem, & ex Magiæ ritu. Miles. 3. de Pamphile se in auem plumatura. *Iampridem* (lege *imprimum*) *omnibus laciniis se deuestit, & arcula quadam reclusa, pixides plusculas inde de-*

promit &c. *multumque cum lucerna secreto collocuta, membra tremulo succussu quatit.* De *arcula* etiam Apollonius Argonaut. 3.

Ἡ δὲ πῶς γλαφυρῆς ἐξείλετο φωριαμοῖο
φάρμακα ———

Vide quod discrimen statuat additamentum vnius literulæ: quid momenti afferat vel apex vnus repositus tempestiue. En & Varronis locum in eadem voce corruptum: facilem emendatu fateor, at non ideo prætereundum. *Vbi vident se cantando ex ara excantare non posse, diripere incipiunt.* legendum *arcâ*.

Paucis consciis testibus corruisse.] Seneca de Epilepticis, de Ira 3. 10. *Vitauerunt turbam, & sine teste ceciderunt.*

Carmine cantatum corruisse.] Zonaras in Constant. M. Ζαμβρῆς γάρ Ἰουδαῖος ἀνὴρ γόης βοῦν ἐνεχθῆναι ἠξίου διὰ τοῦτο λέγειν, μέλλων ἐνδείξασθαι τὴν δύναμιν τοῦ οἰκείου θεοῦ. προσηνέχθη ὁ βοῦς, πλησιάσας αὐτῷ, ὑπεψιθύρισέ τι εἰς τὸ οὖς, κἀκεῖνος μέγα τε καὶ γοερὸν μυκησάμενος, καὶ πτώματι συνδυνηθεὶς, καταπέπτωκε. Dæmonas καταβολικοὺς habes apud Tertullian. Lib. de Anima cap 28.

Progredi mendacio.] Lactant. Diuin. Instit. L. 3. cap. XI. *Quousque progredi fingendo liceat.*

Etenim fabula &c.] Lege confidenter, *at enim f.*

Præsagium & Diuinationem] Non credo Apuleium ita argutatum fuisse vt à *Præsagio Diuinationem* distingueret: quod vt fecisse eum concedamus, locus non sanus erit. scribendum supra enim, *hæc emolumento.* contra si discriminis nil posuit, agnoscenda est inutilis quædam geminatio, quam profectò non possumus affingere ei citra noxam. Vide quas tricas incidis qui hæc perpendis, ego quantum potest, extricabo te, quò te demerear. dixerat Apuleius vt impleretur accusatorum fabula, addendum etiam illud fuisse, puerum non tantum corruisse, sed etiam multa *præsagio* prædixisse; quippe hoc (inquit) emolumentum canticis acceptum ferimus. *Emolumentum* acceptum *Præsagium* esse, vel cæco apparet,

quod tamen inuidens oscitator quispiam quum hæc percurreret, adscripsit Glossæ vice in margine *Præsagium, Diuinationem*: Synonymis his, vt fieri amat, exponens rem vnam. Ea imperitiores Librarij receperunt pòst in contextum, & vt Syntaxis quadantenus constaret, adiunxerunt συνόδισμον. Nos vt turbantia locum, expellenda censemus, vel enim quàm longissime potest, ablegenda.

Nec modo vulgi opinione, verumetiam doctorum virorum auctoritate.] Suprà eadem Antithesi, *Tam rudes vos esse omnium literarum, omnium denique vulgi fabularum.* Gellius Lib. 2. cap. 18. *Non modo his communibus hominum sensibus opinionibusque compertum non est, sed ne inter Physicas quidem Philosophias &c.*

Pag. 49. *Puerum in aqua &c.*] Specimen Hydromantiæ, de qua passim in Libris. Propertius

Vmbraque quæ Magicis mortua prodit aquis.

Damascius apud Photium Cod. 242. Nicet. Choniat. Lib. 2.

Indicasse vbi locorum defossa erat crumena.] Varro in Fragmentis. *Demonstratum præterea quo in loco defodisset aurum.*

A pedissequo.] Ex more honestiorum, de quo fusè & eleganter heic Casaubonus. Plautus Asinar.

Ego baiulabo, tu vt Dominum decet, ante me ito inanis.

In stipem Apollinis.] Inscriptio vetus.

APOLLINI SIANNO
STIPE ANN.

De L. L. 6. Varro. *Dijs quum Thesauris asses dant, stipem dicunt.* Seneca de benef. Lib. 7. cap. 4. *Omnia Deorum sunt, tamen Dijs posuimus donum, & stipem iecimus.* De modo alicubi apud

Achaic. Græcos vsitato, hæc Pausanias. Ἀφικόμενος ὁ τῷ Θεῷ χρώμενος τίθησιν ἐπὶ βωμὸν πρὸ ἀγάλματος ἐν δεξιᾷ νόμισμα ἐπιχώριον, καὶ ἐρωτᾷ πρὸς τὸ οὖς τὸν Θεὸν &c.

Inter Deos atque homines, natura & loco medias quasdam Diuorum potestates intersitas.] In de Deo Socrat. *Sunt quadam*

media diuina potestates inter summum æthera & infimas terras, in isto aëris spatio intersita. Ibid. de ijsdem: *Inter nos ac Deos ut loco regionis, ita ingenio mentis intersitæ. Secundæ Beatitatis Numina* Marciano Capellæ. Ἀθάνατοι δεύτεροι Max. Tyrio. Lib. 2. Differt. 23.

Easque diuinationes cunctas, & Magorum miracula gubernare.] Ibid. Noster. *Per hos eosdem, ut Plato in Symposio autumat, cuncta denunciata, & varia Magorum miracula, omnesque præsagiorum species reguntur.* Nicephor. ad Synes. Μαγεία ἐστὶν ἡ διὰ τῶν μέσων Δαιμόνων ἐνεργοῦσα. Minuc. Octau. *Magi non tantum sciunt Dæmonas, sed etiam quidquid miraculi ludunt, per Dæmonas faciunt.*

Externari.] Miles. 5. *Extra terminum mentis suæ poni.* 3. *Externatus animi, atque attonitus.* Gloss. *Externatus.* Ἐκτὸς φρενῶν.

Sopore quodam futura rerum præsagire.] Cicero Cat. M. Xenophon παιδ. 8. Damascius apud Photium.

Verum enimuero vt vt ista sunt.] Sic in de Deo Socratis lege, pro eo quod vulgò, *Verum enimuero vt ista sunt.*

Fides impertienda est.] In de Syllogis. Categ. *Fidemque illis ex se impertiant.* Et in de Deo Socrat. *Relligionum obseruationibus, & sacrorum supplicijs, fides impertienda est:* vbi Scaligerum *impetrienda* legisse aiunt, quod nollem factum. Pag. 50.

Puer prouidus.] Malè Steuuech. p. *probus.* *Prouidus* est προγινώσκων, *præscius.* Miles. 2. *Diem commodum peregrinationi cupiens præuidere.* h. e, *præscire.*

Corpore decorus atque integer deligi.] Plinius de Nerone Lib. 30. cap. 2. *Sunt quædam Magis perfugia, veluti lentiginem habentibus non obsequi Numina: forte hoc in illo, nihil membris defuit.* Imo & legitimis eorum sacris mutilatio exclusa. Seneca in controuers. *Sacerdos non integri corporis quasi mali ominis res vocanda est:* (legebam *vitanda*) *hoc in victimis notatur, quanto magis in Sacerdotibus.* Idem in Pontificio Christianorum Iure obseruatum etiam, Decretal. P. 5. Dist. 55. *De corpore vitiatis,* h. e, quos

ſola mutilos voluntas fecit, at P. Eugenius etiam Presbyterum cuius duos digitos cum medietate palmæ à prædone abſciſſos cognouerat, omnino à celebratione Miſſæ arcendum cenſuit; *quia nec ſecurè* (inquit) *propter debilitatem, nec ſine ſcandalo propter deformitatem membri, hoc fieri poſſe confidimus: cæteris autem officijs Sacerdotalibus fungi minimè prohibemus.* Decret. Greg. L. 3. Tit. 6. *de Cler. ægrot.*

Si digne tamen ea pueri corpore includitur.] Concipienda παρενθέτως, quod miror indicaſſe neminem: ratio autem verborum iſtorum non adeò in aperto eſt. Eleuat ni fallor, Apuleius puerilem σμικρότητα, quaſi ineptam atque omninò indignam diuino hoſpite. Pulchrè etiam in ſententiam hanc Anonimus Panegyriſtes. *Non fruſtra doctiſſimi viri dicunt naturam ipſam magnis mentibus domicilia corporum digna metari, & ex vultu hominis, ac decore membrorum colligi poſſe, quantus illo cæleſtis ſpiritus intrarit habitator.* Et Pacatus ad Theodos. *Auguſtiſſima quæque ſpecies plurimum creditur trahere de cælo; ſiue diuinus ille animus venturus in corpus, dignum prius metatur hoſpitium, ſiue quum venerit, fingat habitaculum pro habitu ſuo: ſiue aliud ex alio creſcit, & quum ſe parjs iunxerunt, vtraque maiora ſunt.*

Non ex omni ligno debet Mercurius exſculpi.] Plinius Lib. 16. *Quidam ſuperſtitioſius exquirunt materiam unde Numen exſculpant, & quanquam Priapus ille Deus facilis & craſſus, haud grauatur ficulnus eſſe, non tamen idem liceat in Mercurio, Deo tam ingenioſo, totque prædito artibus.* Iamblich. Vit. Pythag. cap 34. Τὸν μὲν γὰρ ἐκδεδμένον πρὸς Ἑρμῆν ζητεῖν εἰς τὴν διάθεσιν ξύλον ἐπιτήδειον. Hoc ξύλον

Arcadic. ἐπιτήδειον Pauſanias ait θύον eſſe, de quo Theophraſt. V. Lib. 5. cap. 5.

Thallus.] Nomen ſeruile, cenſeo *Thalus* ſcribendum, Lapis vet.

D. M.

D. M.
TI CLAVDII AVG. LIB. THALETIS
VINICIANI NOMENCLATORIS
A CENSIBVS THALVS ET
IANVARIA LIB. D. S. P.

& in alio, THALVSA LIBERTA. Vetus Epigramma,

Liberta & coniunx Petronia cara Patrono,
Thalusa hoc tumulo condita luce caret.

Omniaque membra conflictationibus debilitet.] Liuius in Ægystho.

Ipse se in terram saucius fligit cadens.

Naribus hiulcus.] Miles. 2. *Aures rigent, nares hiant.* 3. *Nares hiantes, & labra pendula.* 9. *Follicantes nares languidas, assiduo pulsu tussedinis hiulci.*

Quid in Thallo despuant.] Morbum comitialem nempe. Plinius Lib. 28. cap. 4. *Despuimus comitiales morbos, hoc est, contagia regerimus.* Plaut Capteiu.

Illic isti qui insputatur morbus, interdum venit,

Eodem poclo bibere.] Lucillius apud Nonnium,

Eodem poclo bibo, eodem amplector.

Negant hoc conserui eius.] Legenda ἀιερωτίμως, & pro Pag. 51.
negant, negent.

De omnium consensu.] Miles. x. *Et omnium consensu bono medico sinuntur aurei.*

Rus ablegatus in longinquos agros, ne familiam contaminaret.] Titinnius apud Festum.

Rus detruditur pedicosus squallidus,

D. Ambros. Apolog. Dauid. cap. 14. *Plerique diuitum amandare consueuerunt mancipia sua, & per agellulos relegare.*

Omnis ista accusatio temeraria & repentina fuit.] Supra in limine, *Istae calumniae, vt prima specie graues, ita ad difficultatem defensionis repentinae fuere.*

Corpore morbido.] Νοσηρῷ, Onomast. vet.

Cuius caput contingat.] Profectò hic locus, si quis alius, obseruatione dignus. habet enim ritum quempiam in susurris Magicis instinguendis vsitatum, vt à nullo Commentatorum expositum, ita reapse minus protritum. Fateor non incommodè referri posse ad προσηγύσεις illas, quibus Magi vt plurimùm carmina infundebant sua: vt ex Zonara superius adducto, Heliodoro Lib 6. alijsque conspecti nominis Scriptoribus haud incompertum est. imò (vt quod sentio dicam,) ita capiendum censeo. obiter admonebo tamen, sententiam hanc non eam esse, quæ etiam aliùs aditum præcludat prorsus. Oro, quî scimus an protensio manus designetur, necne? male non conuenit certe τὸ *contingat*: quin & nescio quid legisse videor mihi apud D. Crysost. in Act. Apost. vbi de pueri contacto capite disertim mentio; quod tamen loci huius esse non affirmare ausim. Liber ad manum non est, eóque minus eum locum adduco: cæterùm defectum eius (idque ni fallor, prolixè) farciam, adscripto alio necdum typis edito, in quo eiusmodi extensionis, chartâ inter digitos conclusâ, ad quodcunq; libido ferret instinguendũ potentiam, planéque Diabolicã vim luculentissimè expressam videas. Extat autẽ in Chronico Richerij Senoniensis Monachi, stilo rudiore scriptus, neque tantum tẽporibus ijs, sed & nonnihil narrationis fidei consentaneo forsan. Tu nõ attẽdes verba Lector, sed historiã, quæ fideliter exscripta ab amico, & huc transmissa, sic habet.

Fuit his diebus Parisiensis vir doctissimus, eloquens, & eloquio clarus, Robertus nomine, de Ordine Prædicatorum, qui tantam habuit gratiam, vt nullus ei tunc secundus haberetur: sed vt ferebatur, totus gloriæ mundi & luxuriæ deditus erat: qui quadam arte chartulam sibi composuerat, vt si quando eandem chartulam capiti alicuius supponeret, quæcunque ille volebat, vellet, nollet, fateretur. Quadam quippe die cum in prædicatione sua quandam formosam mulierem conspexisset, eam animo concupiuit, mandans ei vt sibi post Sermonem loqueretur; quæ ad quendam locum secretum veniens, vbi sibi velle confiteri ex-

pectabat, illam alloquitur, & vt voluntatem suam faceret, vocibus minacibus & blandis ipsam coarctabat. Illa negat, ille instat: minatur si non faciat, ei hæresim opponet, & igne comburi faciet. Incrastino nempe coram cunctis mulierem illam ad se venire fecit, & manum ei imponens, alta voce interrogat, Numquid ex secta Hæreticorum es? illa dixit, Sum verè. Vis redire ad fidem Catholicam? illa autem ait, Non. Ille dixit, Vis comburi potius quam sectam illam abnegare? illa respondit, Volo. Audistis quoniam mulier ista confessa est turpitudinem suam. At illi admirantes, dixerunt se nunquam tale quid audiuisse, & ita tradita est custodiæ. Habebat autem illa Matrona filium Clericum, bonæ indolis adolescentem, qui dolore matris tactus, circuibat vicinos & affines, consulens eos, si quo modo matrem à periculo mortis liberare valeret, cui quidam qui illi Prædicatori familiaris erat, valdè condolens, dixit ei: Vade cras ad publicum Consistorium, quia iterum mater tua examinabitur, tu verò sta iuxta eam, & quum Magister Robertus matri tuæ manum imposuerit, & eam de fide interrogauerit, tu, quia fortior es eo, manum eius viriliter apprehende, & Chartulam quam in ea inuenies tolle, & eam tibi reserua, & alta voce roga Magistrum Robertum, vt iterum matrem tuam de fide interroget. Quod & ita factum est: cumque ille Clericus Chartulam illam de manu illius Prædicatoris tulisset, matrona illa vt prius interrogata, iurauit coram omnibus se nunquam illa verba audiuisse, nec vnquam à Magistro Roberto de fide interrogatam fuisse, nec ei in aliquo respondisse, nec quid esset Hæresis vnquam audiuisse. Filius verò eius omnibus Chartulam ostendit, & quia arte Diabolica idem Prædicator per Chartulam illam quod volebat decipiebat, & morti tradebat. Populi verò hæc audientes nitebantur eum interficere, sed raptus à Clero, missus est in carcerem lapideum perpetualiter inclusus. Et quia patrem & matrem, & alios multos insontes vel culpabiles, arte supradicta ad suam iniquitatem velandam fecerat, Deus ei talem pœnam in præsenti vita imponere decreuit, si fortè à malitia sua conuertatur. Hactenus de Magistro Roberto, iam ad Apuleium præuertamur.

Oculos truces in te inuertisset.] Saluian. Massil. *Vibrans in os meum truces oculos.*

Oculos t.r.t.i. faciem tuam spumabundus conspuisset.] Lucian. hoc ipso argumento in φιλοψευδ. Τῷ ὀφθαλμῷ διαστρέφοντας, καὶ ἀφροῦ πιμπλαμένους τὸ στόμα. Gellius de irascente Lib. 1. cap. vlt. *Oculi truces, os turbidum, & in spumam efferuescens.* Nicander de intoxicato.

Ἀλεξιφαρ.

——— Λοξᾶς δὲ κόρῃσι ταυρηδὰ λεύσσων,
Θήγει λευκὰ ὀδόντα, παραφρείζει δὲ χαλινοῖς.

Caput succußisset.] In eadem re Seneca, de Ira 3. 10. *Memoria sublabitur, caputque versatur.*

Hoc puer nescit.] Supra enim, *Corruisse, postea nescientem sui excitatum.*

Pag. 52. *Eius ruina.*] Hac voce, hoc eodem argumento Sammonicus vtitur.

Cap. 58.

Ipse Deus memorat dubiæ per tempora Lunæ
Conceptum, talis quem sæpe ruina profudit.

Incensus Gagates lapis &c.] Plin. 36. 19. Dioscorid. 5. 146.

Cuius odore etiam &c.] Optimè heic locum habere possunt, quæ de pisciculo quodam suprà Noster: *Apud veteres Philosophos proprietatem hanc non reperio, quanquam omnium rarißima sit, & hercle memoranda.*

In venalitijs.] Scribend. per c. *Venalicium* est *forum venalium*, ἀνδραποδοπρατήριον. Venuleius. l. vlt. §. 2. de edilit. Edict. *E venalicio nouitiorum emptus.* Vlpianus autem l. 5. §. 1. *de Iure delib.* videtur posuisse id verbi pro *venalibus*. quam coniecturam nostram non respuet qui inspexerit locum, & in emendis speciosis mancipijs Romanorum luxus meminerit. Ab huiusmodi *venalibus* dicti *Mercatores venalicij*. Cicero Oratore. *Neque me diuitiæ mouent, quibus omnes Africanos & Lælios multi venalicij mercatores superarunt.* Inscriptio vetus.

L. VALERIVS.
ZABDAE MERCAT.
VENALICI. L.

Onomast. vet. *Venalicius*, Ἀγοραστής. Iidem & *Venalicia-*

rij, Glossæ, Μεταβόλος, μεταπράτης ἀνδραπόδων. *Mango*, *venaliciarius*. Aliæ. *Venaliciarius*, Σωματέμπορος.

Venalium.] Serui nouitij propriè *Venales* dicti. Venul. cit. loc. *de Ædil. Edict.* Item. l. 11. de *Negot. gest.*

Orbis à figulo circum actus.] Pede scilicet, inde ποδοτρόχαλος, ὁ τῷ ποδὶ τὸν κεραμικὸν τροχὸν κινῶν. Hesychius.

Vertigine sui corripit.] Miseram Wovverij lectionem coarguit! Noster in de mundo. *Venenati spiritus contagione corripiunt, & vertice circumacta interimunt.*

Non de nihilo postulo.] Infrà. *Haudquaquam videor de nihilo percontatus.* Iterum. *Sæpè audiui non de nihilo dici.* Et Miles. 7. *Non de nihilo veteris doctrinæ viros finxisse.*

Postulo vt nomines quinam testes &c.] Cicero pro Cælio. *Equidem vehementer expectabam quinam isti viri boni testes huius manifesto deprehensi facinoris dicerentur, nulli enim adhuc sunt nominati.*

Piaculari sacro.] Ἀποδιοπομπήσει. In de Deo Socrat. *Piacularibus sceleribus.* Isidor. *Proculum, abominatio.* fors *Piaculum.*

Ad relligionem suffragaretur] Nullus heic *libidini* locus, Pag. 53. quod reponere Casaub. gestiebat: multò minùs Vvouuerij coniecturæ, scribentis *delationem*. *Relligionem* signatè dixit Noster, vt & alij sexcenti. Cicero. *Habeo Iudices, quem vos socium vestræ relligionis iurisque iurandi facile esse patiemini.* Tacitus, *Securum aduersus æmulos, & relligione Iudicum meritam laudem assequuturum.* l. 5. Cod. de Testib. *Relligio iudiciaria.* Δικάζοντος ἀγχίνοιαν καὶ θεοφιλίαν Harmenopulus vocat. Lib. 1. Tit. 7. *Fidem iurisiurandi* Phædrus 3. 10.

Facilius fuit.] *Facilius* hoc loco non εὐχερέστερον est, sed συμφερώτερον. Q. Cicero ad M. Fratr. de petit. Consul. *Facile præceptum est vt quod acturus sis, id significes te studiosè ac libenter esse facturum.* Varro de R.R. Lib. 2. *Facile est quod habeant conseruam in Villa.* Saluian. 3. contra Auar. *Facilius est heic deesse filijs quippiam, quàm parentibus in futuro.*

Tete vt ipſum diceres interfuiſſe, & ex eo ſacro cepiſſe dementire.] Venuſtam Ironiam! ſi finxiſſes (inquit) mentis inualetudinem, proſpexiſſes melius tibi, aperuiſſes veniam calumniæ. Iuuenal. Sat. 2.

——— ——— *Furor ipſe*
Dat veniam ——— ——— Senec. Herc. Fur.
Solus te iam præſtare poteſt
Furor inſontem ——— ———

Saluian. Maſſiliens. *Nulla res minùs culpanda eſt quàm amentia: voluntas crimen non habet, vbi furore peccatur.* V. l. 4. D. *de in ius voc.* Iul. Paul. *Recept. Sent.* Lib. v. Tit. *de Iniur.* Et huc refer quæ de Octauio quodam narrat in Iulio Suetonius, & de Druſo Tacitus Annal. 16.

Dementire.] V. Coluium, aut (qui eum exſcripſiſſe videtur) Gentilem. Eſt nè hoc nouas obſeruationes afferre, an alienas recoquere?

Donares.] Syntaxis poſtulat *donare*: ſed nec vulgat: damno,

Mendacium frigere.] Κεινοπρεπῶς: ſic Græci ſuum ψυχρόν. V. Caſaub. Not. ad Suetonij Claud.

Vltrò prouoco.] Legi non nemo voluit, *vitro prouoco.* nempe quia res hæc acta eſt ad aquam. En cor Zenodoti, en iecur Cratetis.

Pueros quos ſpe libertatis audio confirmatos ad mentiendum.] Siſenna apud Nonnium 3. Hiſtoriarum. *Seruulum eius præmio libertatis inductum, cum tumultu conuentum populum perduxit armatum.* ſcribebam, *conuentum populi perduxe armatum.*

Poſtulo, & flagito.] Cicero pro Fonteio. *Inſector vltrò atque inſto accuſatori: inſector inquam, ac flagito teſteis.* Et pro Plancio. *Etiam atque etiam inſto; atque vrgeo: inſector, poſco, atque adcò flagito crimen.*

Mea aqua licet ad hoc vtare.] Demoſth. κατ' Εὐβουλίδ. Εἰ φασί με τοῦτο ψεύδεσθαι, ἐπὶ τοῦ ἐμοῦ ὕδατος ὅστις βούλεται, τ' ἐναντία μαρτυρησάτω.

Ludibrio habere.] Lucret.——*Ludibrio ſibi habere videtur.*

Verbo prolapsus.] *Verbo istubare*, Cicero in pro Plantio. Pag. 54.

Legibus delegata] l. 9. Cod. de Asseſſ. *Iudicio, legibusque tradantur.* Sidon. Lib. 7. Epiſt. 7. *Seronatum Barbaris Prouincias propinantem, non timuerunt legibus tradere.*

Duodecim Tabulis interdicta.] Ammian. Marcellin. Lib. 26. *Filium ſuum veneſico tradidiſſe, docendum artium nefariarum ſecreta, legibus interdicta.*

Ob incredundas frugum illecebras.] *Illecebræ* ſunt *Excantationes*, vt in verbis legis. *Si quis alienas frugeis excantaſſit.* h. e, *de loco ſuo carminibus pellexerit.* D. Auguſt. de ciuit. 8. 19. De Ciuit. 8. 19. *Hac peſtifera ſceleratáque doctrina fructus alieni in alias terras transferri perhibentur.* Author Queroli.

Meſſes hac atque illac transferunt diris tempeſtatibus. obiter aduerte etiam. quid ſit *Incantare.* Fruges necare nempe, facere vt areſcant. de hoc maleficij genere capiendus Petronius. ——— *Florida Tellus*

Quum volo, ſpiſſatis areſcit languida ſuccis.

Et Ouid. *Carmine læſa Ceres ſteriles vaneſcit in herbas.*

Tenebris abſtruſa.] Miles. 4. *Clauſæ domus abſtruſi tenebris.*

Cui non modo ſeruorum &c.] Caſaub. ad Athen. 14. 10. Elmenhorſt. ad Minucium.

Conuiuium tempeſtiuum.] Turneb. Aduerſ. 6. 16. Manut. de quæſ. per Epiſt. Lipſ. ad Tacit. Annal. 14. Salmas. ad Vopiſc. p. 424.]

Adiutorio.] Excerpt. è vett. Gloſſ. *Adiutorium*, Βοήθεια.

Luſtrales hoſtias.] Miles. 3. *Pererratis plateis in modum eorum, qui luſtralibus piamentis minas portentorum hoſtijs circumforaneis expiant.*

An vt grana thuris numerarent?] Inuitis Libris & Interpretibus omnibus, lego *mundarent.* Eunapius pari argumento Λιβανωτοῦ χόνδρον καθαρίσας. Marcian. Capella vocat *Aroma præparare.* Cum hæc ſatis dixi, cape & Petronij illa. *Vt ſoluit ergo licio pannum, partem leguminis ſu-* Pag. 55. *In vita Max.*

per mensam effudit, iußitque me diligenter purgare. Loquitur de maleficio: nil certius lectione nostra.

Ad inspiciundum.] Sic etiam Plautus Pers. *Morbum inspicere*; Valerius *caussam inspicere*, & Petronius *querelam*. Cicero pro Flacco. *Vos oro Iudices, & obtestor, vt totam caussam quam maximè intentis oculis vt aiunt, acerrimè contemplemini.*

Sedulo impresentiarum. à laudibus tuis tempero.] Eodem artificio 3. Floridorum. *Metua quidem Scipio quoniam laudes tuas attigi, ne me impresentiarum frænet vel tua generosa modestia, vel mea ingenua verecundia.* Simillimè Libro 4. etiam, ad Pop. Carthag. *Facilius laudes vestras alibi gentium quàm apud vos prædicarim; ita apud vos cuique modestia obnoxia est, apud extrarios autem veritas libera.* male se habet locus, Brantius tentabat, *Ita apud vos vtique modestia* ρ. c. melius (aut fallor) ego, *Ita apud suos cuique* &c.

Quæsisti tu &c. *quod mihi emolumentum fuerit incantandi.*] Infrà, *Respondeat Æmilianus aut Ruffinus, ob quod emolumentum, etsi maximè Magus forem, Pudentillam carminibus & venenis pellexissem.* Cicero pro Roscio. *L. Cassius ille, quem Pop. Romanus verißimum & sapientißimum Iudicem putabat, identidem in caußis quærere solebat, cui bono fuisset; sic vita hominum est, vt ad maleficium nemo conetur sine spe atque emolumento accedere.* Fulgent. 1 Mythol. *Vbi emolumentum deest negotij, causa cessat inquiri.* Lysias λόγῳ Ἀρεοπαγ. Πάντες γὰρ ἄνθρωποι τὰ τοιαῦτα οὐχ ὕβρεως, ἀλλὰ κέρδους ἕνεκα ποιοῦσι: καὶ ὑμᾶς εἰκὸς οὕτω σκοπεῖν, καὶ τοὺς ἀντιδίκους ἐκ τούτων τὰς κατηγορίας ποιεῖσθαι, ἀποφαίνοντας ἥ τις ὠφέλεια τοῖς ἀδικήμασιν ἐγένετο. Miles. 3. Noster: *Vel certe vlla præda monstretur, cuius cupidine tantum flagitium credatur admissum.*

Pulchrè ac perseueranter tertiò quæsiuisti.] Hæc est *Solertia* illa *percontandi* quam suprà laudat: quæ tamen Iudici an permissa, disceptant quidam. Phauorinus apud Gellium Lib. 14. cap. 2. *Atque illud amplius ambigi ac dubitari scio, debeatne Iudex inter cognoscendum ea quæ dicto quæsitoque opus est*

est, dicere & quaerere, etiamsi cuius ea dici quaerique interest; neque dicat, neque postulet; patrocinari enim prorsus hoc esse aiunt, non iudicare. Locus est perquam luculentus, & omninò dignus qui inspiciatur, plura enim quæsita habet super Iudicis officio.

Omnium factorum rationes diligentius examinandas.] Saluian. 7. de Gubern. *Interest non solum effectus rerum, sed etiam effectuum causas dicere.* Polyb. 2. Οὕτως ἐν παντὶ τὸ τέλος κεῖται τῆς διαλήψεως, οὐκ ἐν τοῖς πεπραγμένοις ἀλλ' ἐν ταῖς αἰτίαις, καὶ προαιρέσεσι τῶν πραξάντων.

Neque culpæ &c. confinem.] Sauar. ad Sidon. Lib 1. Epist. 6. Pag. 56.

Ne quid auribus tuis & doctrinæ congruens reticuerim.] Legend. (vt è vett. WoWer. monuit) *Ne quid dignum auribus tuis*, &c. Cicero in Bruto, *Romanis Græcisque auribus digna.* Catullus,

O rem ridiculam Cato & iocosam!
Dignamque auribus, & tuo cachinno!

cuius loci etiam, ex applicatione illius ad hunc Nostri, communis lectio firmatur, contra magni Scaligeri mentem, qui legebat, *Dignam naribus.*

Admonendus es mihi, non docendus.] Fabius Lib. 4. cap. 1. *Heic est admonendus Iudex, illic docendus.* Gellius Lib. 16. cap. 8. *Sui magis admonendi, quàm aliorum docendi gratia.* Idem Lib. vlt. cap. vlt. *Vt ea non docendi magis quam admonendi gratia scripta existiment.* Hyginus Poet. Astron. *Scripsi ad te, non vt imperito monstrans, sed vt scientissimum commonens.*

Plato &c. cælesti quadam facundia.] Inde Deo Socratis. *Plato cælesti facundia præditus, æquiparabilia Dijs immortalibus disserens.* Minuc. Octau. *Platoni apertior de Deo, & rebus ipsis, & nominibus oratio est, & quæ tota esset cælestis, nisi persuasionis ciuilis admistione nonnunquam sordesceret.*

Cum quispiam earum modum excessit, aut loco demigrauit.] Ex eo Alcinous cap 22. Νόσων αἰτίας εἶναι πολλάς· πρῶτον μὲν τὴν τῶν στοιχείων ἔνδειαν καὶ ὑπερβολήν, μετάστασίν τε εἰς ἄλλους οὐκ οἰκείους τόπους.

Modo excessit.] lege *modum*. In de dogm. Platon. *Cùm valetudinis portio procurata salubriter, modum necessarij victus nescit excedere.*

Pag. 57. *Concreta ex simplicibus elementis, vna tamen specie coaluerunt.*] *Partes consimiles* vocat cit. Libro.

Visceris & ossis.] eod. Lib. *Visceribus ossa sunt tecta.* Miles. 8. *Suisque visceribus nudatis ossibus.* *Viscus* pro carne accipit. Miles. 2. *Viscus fartim concisum.* inde *Visceratio*, κρεανομία, vet. Onomast.

Varij fellis.] Qui sequutus est Fuluiani codicis lectionem *amari*, strenuam herclè suspicionem inijcit τὸ *fellis* non intellegisse se.

Inimico igni colliquescit.] Eâdem sententia & loquutione Laberius corrigendus.

Apud Nonium. *Figura humana inimico ardore ignescitur.*

vulg. *inimici*. Forsan & Noster emendandus 4. Miles. legitur concinnè minus, *Flagrantia Solis inimici*, scripserim vt suprà vtrobique, *inimico*.

Ex candore compressi aëris, albida & tumida tabes fluit.] Locus bifariam corruptus. scribe *calore*, inde enim spuma; Ennius apud Macrob.

Spiritus ex anima calida spumas agit albas.

sic apud Nostrum lege: dico *spumida tabes*, non *tumida*. Suprà proximè, *Humorem crassum & spumidum.*

Albida.] vet. Onomast. *Albidus* Ὑπόλευκος. Gloss. vett. Ὑπόλευκος, *subalbus*.

Foras corporis.] Magis ex Latinitatis vsu dixisset *Foras corpore*. at nil muto, syntaxin esse Græcam puto. sic 8. Miles. *Intus adium.*

Maiore dedecore quàm noxa diffunditur.] Efficiendo vitiliginem. Lucilius

Hæc odiosa mihi est vitiligo, non dolet. ———

Celsus Lib. 5. cap. vlt. *Vitiligo quamuis per se nullum periculum afferat, tamen fœda est.*

Primorem pectoris cutem.] Casaub. *corporis* legit; quia Plato σῶμα, non στῆθος. etiam infrà Noster. *Leui tor-*

pitudine corporis compensat. Grauiter & ingeniosè hæc, non tamen à vulgatis recedo. *Pectus* pro *Corpore* positum non semel repperi. Næuius apud Gellium Lib. 20. cap. 7.

Corpore, pectoreque vndique obeso.

Vetus Epigramma.

Cur tua fæmineo cæduntur pestora socco?

Et in alio, de Pantomimo.

Mascula fœmineo deriuans pectora flexu.

(vt legend. è MS. Salmasij Cod. supra monitum.) Claudianus,

Omnia quæ sensu voluuntur vota diurno,
Pectore sopito reddit amica quies.

adde, & emenda Lucretium.

Nam mulier prohibet se concipere, atque repugnat,
Clunibus ipsa viri Venerem si læsa (vulg. *læta*) *retractet,*
Atque exossato ciet omni pectore fluctus.

Eadē Grçci enunciatione στέρνον ponunt. Euripid. Phœniss.

——— Ἄρην δ' Αἰτωλὸν ἐν στέρνοις ἔχει.

Scholiastes. Τὸ στέρνον ἀντὶ τοῦ ὅλου σώματος εἶπεν.

Intus cohibita, & atra bili sociata.] Alcinous, Εἴσω δὲ κατερχθὲν χολῇ μελαίνῃ, τὴν καλουμένην ἱερὰν νόσον ἐπάγει.

Venis omnibus furens peruasit, deinde ad summum caput viam molita &c.] Rectè, & pro Philosopho, vel enim & Medico disputatum. Philostrat. Ἡρακλ. μαινομ. Icon. lib. 2. Καὶ ἀνοιδοῦσιν οἱ περὶ αὐτὸν φλέβες, δι' ὧν ἐς τὰ καίρια τῆς κεφαλῆς ἀναῤῥεῖ πᾶσα χορηγία τῆς νόσου. quæ sint τῆς κεφαλῆς καίρια, ego herclè non plus intelligo, quàm quod ibidem Interpres reddit, *capitis lethalia.* olim fortasse discam, interim χωρία legam.

Verticem hominis, velut arcem & regiam.] In de Dogm. Platonis. *Rationabilem, id est, mentis optimam portionem, hanc ait capitis arcem tenere.* Ibid. *Machinamenta quibus ad sentiendas dijudicandásque quantitates & qualitates sensus instructi sunt, erga regiam capitis constituta esse.* Oppidò venusta est assimilatio ista, nos ideò eam firmabimus ex aliorum scriptis. Priscian. *Erit nobis de capite tanquam*

ex arce, ad reliquam corporis curam deſcendendum. Seren. Sammonicus.

Principio celſa de corporis arce loquamur.

Idem de oculis.

Quos quaſi cuſtodes defenſoreſque periclis,
Proſpiciens ſumma Natura locauit in arce.

Natura deo. 2. — Cicero. *Senſus interpretes ac nuntij rerum, in capite tanquam in arce,* &c. Minuc. Octau. *Et omnes cæteri ſenſus velut in arce compoſiti.* Manilius.

——— *In arcem Erectus capitis.* ———

Claudianus. ——— *Capitis fundauit in arce.*

Lactantius. *In ſummo capite collocata tanquam in arce.*

Pauca etiam è Græcis cape. Philoſtrat. Herc. & Pigm. Οἱ δὲ τῇ κεφαλῇ προσμαχόμενοι, &c. καρτερωτάτου αὐτῆς τούτου δοκοῦντος, ἐπάγουσι καὶ οἷον ἀκροπόλει μηχανάς. Gregor. Nyſſen. περὶ κατασκευ. ἀνθρωπ. Οἱ δὲ τὸν ἐγκέφαλον ἀφιεροῦντες τῷ λογισμῷ, ὥσπερ ἀκρόπολίν τινα τοῦ παντὸς σώματος τὴν κεφαλὴν δεδομῆσθαι παρὰ τῆς φύσεως λέγουσιν. Theodoret. περὶ προνοίας. Serm. 3. Ἐπειδὴ εἰς αὐτὴν ἀφικόμεθα τὴν κεφαλήν, βλέπε αὐτὴν ὥσπερ ἀκρόπολίν τινα τῆς τοῦ σώματος πόλεως ἐν ὕψει καθιδρυμένην.

cap. 23. — Alcinous. Ὅπως δὲ μὴ τῆς φλυαρίας τῆς θνητῆς ἀναπιμπλάμενον ᾖ τὸ θεῖον αὐτῆς (ψυχῆς) καὶ ἀθάνατον, κατῴκισαν (οἱ θεοὶ) ἐπὶ τοῦ σώματος ἐπὶ τῆς οἷον ἀκροπόλεως ἄρχον καὶ βασιλεῦον ἀποφήναντες, οἴκησίν τε ἀπονείμαντες αὐτῷ τὴν κεφαλήν. Paria Chalcidius in Timæum Platonis.

Sapientes meatus.] *artificioſas.* Helleniſmus.

Obruit, & obturbat.] Poſſet videri legend. *obſtruit & obturat.* Has enim voces paſſim coniunctas videas. Gloſſ. etiam Puteani MS. *Oppilat, includit, obturat, obſtruit.* nullus moueto tamen vulgariam ſcripturam. Plato Ἐπισκεδαννύμενον, καὶ ξυμπαγέντον.

Pag. 58. — *Repentino mentis nubilo.*] Miles. 10. *Repentè mentis nubilo turbine correpta.* Nonâ, *Odore ſulfuris ineſcatus, atque obnubilatus.* & Octaua. *Corruit corpus, atque obnubilauit animam.*

Ceſſante animo.] *Ceſſare* eſt ἀναισθητεῖν, Ciceroni *ſine ſenſu eſſe.*

Maiorem.] Hesychius. Μεγάλη νόσος, ἡ ἐπιληψία.

Quantum potuit &c. *perspicuè explicatam.*] In de mundo. *Vt quatenus possum, de Vniuersitate quod sentio, breuiter absoluam.*

Fidem arbitratus.] VVouuer. è vett. *fidens*, importunè. V. Gulielm. ad Plaut. Bacchid. cap. 3.

Tempora pulsata.] Ita (optimè) Romana & Casauboniana Editiones principes, illa ab ordine, hæc à puritate. In Florid. ead. figura, *Leonum indignati fremores.* In Milesijs *Mulier fleta*, &c. Nuperi interpolatores oggerunt *pulsantia.*

Morbi penitus adacti.] Virgil.-- ---*Altè vulnus adactum.* Æn. 10.

Dextera corporis validiora.] Ita Plinius Lib. 7. cap. 17. & Aristot. de animal. Lib. 1. cap. 128. rationem ibid. reddit. Lib. 3. cap. 9. διὰ τὸ τὴν κίνησιν εἶναι ἐκ τῶν δεξιῶν. aliter Macrobius Saturnal. 7. 4. *Ideò* (inquit) *omnes dextræ partes validiores sunt, & debiliores sinistræ, quia has regit calor visceris sui: illæ contagione frigoris sinistra obtinentis, hebetantur.* Transpositio pronominum omnem loci sententiam destruit. lege, *quia illas* (nempe dexteras partes) *regit,* (non *regit*) *calor visceris sui*: (h. e. iecoris:) *hæ* (scil. sinistræ) *contagione frigoris* &c. *hebetantur.* quem locum miror à castigatoribus adeò impunè dimissum.

Quibus æquè caducis] τὸ *æquè* non habere quo referatur Gentilis inquit: inde pro *quibus æquè* legend. *quibuscunque* putat, vel cum Acidalio *quibusque.* Ego nil temerè mutem, nam & alibi id verbi reperio aut πλεονάζον, aut quodam sensu quem intellexeris quàm expresseris positum. videtur vt plurimum autem valere, *maximè, præsertim.* Miles. 6. *Crebris æquè ingestis ictibus.* 8. *Canis adæquè venaticus.* Florid. 2. *In plurimis æquè.* vbi idem Valens legit, *plurimisque.*

De non videntibus animalibus] rectè Casaub. *De inuidentibus a.* περὶ τῶν λεγομένων ζώων φθονεῖν.

Exuuias stellionum] V. Vulcan. ad Gloss. col. 84.

Stellionum.] *Stellio de colore nomen habet inditum; est enim*

tergore pictus lucentibus guttis, in modum stellarum: de qua Ouid.

——Aptumque colori
Nomen habet, varijs stellatus corpore guttis.

Isidor. Orig. Lib. 12 cap. 4.

Temporibus statutis] Fuluij MS. *statis*, sed non sequendus. non quod non proba locutio hæc, sed quod illa non improba. Tertull. adu. Iudæos, cap. 2. *Certis & statutis temporibus*. Miles. 7. Noster, *Statuta cibaria.*

Malignonè præsagio an naturali adpetentia? illicò conuertuntur & deuorant] Antig. Carysth. ἱστορ. παραδ. Οὐχ ἧττον τὰ φθαρτικὰ τῶν ὀφελούντων, οἷον ὁ γαλεότης, ὅταν ἐκδύῃ τὸ γῆρας, ἐπιστραφεὶς κατέπιεν.

Malignone p. a. n. a.] Idem, Εἴτε κατὰ προαίρεσιν, εἴτε κατὰ τύχην.

Pag. 59. *Ad meam ratiocinationem rectè factum* &c.] Plaut. Aulul.
E meo quidem animo facias rectiùs.

Tu potius caducus, qui tot iam calumnijs cecidisti] Alludit solennia illa, *Caussa, formula cadere*. scil. quum actio ritè non intenditur. neque inficetum est, quidquid Scipio obganniat de frigiditate.

Splendidissimo catu.] Florid. 3. *Splendidissimo conspectu.*

Tanta vis morbi.] Sic loqui amant Scriptores. Lucretius,

Atque ea vis omnis morborum, pestilitasque.

Idem *Vnde queat vis immensi procrescere morbi.*

Cicero in de Fato. *In quo vis morbi tanta non appareat.* Nepos in Attico. *Subitò tanta vis morbi in vnum intestinum prorupit.* Et Salust. Catilin. *Tanta vis morbi* &c. *ciuium animos inuaserat.* Gellius Lib. 12. cap. 5, *Vis illa, & natura morbi.* Seren. Sammonicus.

Est & vis morbi quod telum commemoratur.

Quem innocentem liquidò scis, tamen accusas vt nocentem.] Lactant. Diuin. Instit. Lib. 5. cap. 1. *Student damnare tanquam nocentes, quos vtique sciunt innocentes.*

Sunt quæ fatearis nescire.] malim *fateris*.

Sudariola inuoluta.] Scribe, *sudariolo i.* Infrà. *Habuit Apuleius quæpiam sudariolo inuoluta.*

Non est in accusando versutia.] Augent nonnulli Codd. hoc modo. *Non est ista tua i. a. v.*

Acne impudentia quidem.] Quid sibi velit hæc *impudentia* qui intelligunt, exponant. scripserim *imprudentia*, vt & Miles. 2. vbi legitur vulgò, *Impudentiæ sua labem.*

Crudà senectutis.] Etiam heic hæreo: nam cur *crudum senem* hoc loci appellet, quem infrà *Capularem* vocat? *hominem autemeritis?* item alibi, *præcipitis aui, & occiduæ senectutis?*

Tantum super omnes stultitia euectus es.] Demosth. περὶ στεφ. Τοσοῦτον ὑπερβέβληκεν ἅπαντας ἀνθρώπους ὠμότητι, καὶ συκοφαντίᾳ. Plaut. Bacchid.

Quicunque vbique sunt, quique futuri sunt posthac,
Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones:
Solus ego omnes antedeo stultitia, & moribus indoctis.

Terent. Heautont.

——— *In me quiduis harum rerum conuenit,*
Quæ sunt dicta in stultum: caudex, stipes, asinus, plumbeus:
In illum nil potest, nam exuperat eius stultitia omnia hac.

Qui in indiuiduo contubernio mecum vixit.] Miles. 4. *Mecum primis ab annis nutritus & adultus indiuiduo contubernio.* Infra heic. *Arto contubernio intimè mihi iunctus.* Onomast. vet. *Contubernium*, ὁμοροφία. Pag. 61.

Finge quiduis, reminiscere, excogita.] Afranius Fratriis,

——— *Finge, fabricare vti lubet.*

Plaut. Bacchid.

Compara, fabricare, finge quod lubet, conglutina.

Reminiscere, excogita.] Coluius, *comminiscere:* iuuat ex Plauto Brantius,

Fabricare quiduis, quiduis comminiscere.

at ista nimis violenta emendatio est; dulcius & lenius, si quid moues, *eminiscere* scribes. Gloss. Isid. *Ementum excogitatio.* caue quid mutes tamen. eandem infrà loquutionem habes. *Fingite aliquid, reminiscimini quid responderetis.*

Sacro traditum.] Familiæ nempe, ſeu priuato.

Somnio imperatum.] Petronius. *Medicinam ſomnio petij, iuſſaque ſum vos perquirere.* Sueton. Veſpas. *E plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure, ſedentem pro Tribunali adierunt, orantes opem valetudinis, demonſtratam à Serapide per quietem. Somnia monitura* habes apud Statium. Ὀνειράτων φήμας apud Philoſtr. de Apollon. *Lib. 8 cap. 7* Ὀνειράτων βοηθήματα apud Antonin. in de vita ſua. huius loci ſunt EX VISV, IVSSV, & ſimilia, quæ occurrunt paſſim in antiquis inſcriptionibus.

More communi, & vulgatiſſima obſeruationum conſuetudine.] In de Mundo. *Hanc opinionem communis mos, & hominum obſeruationes ſecutæ affirmant.* Gellius (eadem copula) Lib. 5. cap. 13. *Huius moris obſeruationiſque multa ſunt teſtimonia.* Idem Lib. 1. cap. 6. *Quotidiana intelligentia, & communi peruulgatoque vitæ vſu.* Lactant. Diuin. Inſtit. Lib. 3. cap. 7. *Quod ipſe vſus rerum, & quotidiana experimenta poſſunt docere.* Ioann. Sariſburiens. Proëm. Lib. 7. *Vſu quotidiano, & rerum experientia.*

Deprehenſum & detentum.] Sunt qui *detectum* legunt, nec ineptè: nam eaſdem has voces coniunxit D. Cyprianus. *De discipl. virg.* *Deprehenderis* (inquit) *virgo, detegeris.* Docti vulgatum retinent, ſed non explicant. Ego Africanam quampiam ſubinnui notionem puto. Idem Cyprianus in de hab. virg. *Peior adultera detineris.* Tertullian. Apolog. *Nomen detinetur.* Marcian. Capella de nuptiis &c. Lib. 4. *Nihil deeſſe cerneres, nihil ſuperfluum detineres.*

Quod linteo tectum apud Lares potiſſimum depoſuiſti.] Oſcitantiam Interpretum! *Pag. 62.* Et quid facilius quàm vel ex quæ ſuprà proximè, *Habuit Apuleius aucipiam linteolo inuoluta apud Lares Pontiani* etiam hoc loco repoſuiſſe germanam lectionem? At ita fieri amat: plane qui (vt Criticiſſantium nonnulli) in ſcirpo nodum quærunt, ij vbi vſus acuminis venit, minus æquo vident.

Quippe omnibus, ſi cui fortè negotium Magiæ faceſſitur, quidquid omninò egerint, obijcietur.] Gentilis, *Q. o. s. c. f. n. faceſſitur,*

facessitur, q. e. c. Magia obijcietur. argute nimis: viuida enim, & perspicua est sententia vt vulgò editur.

Votum in alicuius statuæ femore adsignasti?] Fusè Rutgersius Var. 5. 5.

Tacitas preces &c.] Scalig. ad Tibull. Lips. ad Senec. Schott. Obseru. human. 2. 11.

Donum posueris.] Florid. 1. *Donum apponere.* Seneca Epist. 115. *Omnia Deorum sunt, tamen Dijs posuimus donum.* Inscriptio vetus,

SANCTO SILVANO NINIVS
PHILENVS IN PRÆDIO
DONVM POSVIT.

Alius Excellentissimi Arundeliæ Comitis, a Cl. Seldeno editus,

SILVANO SACRVM SODAL.
EIVS ET LARVM DONVM
POSVIT. TI. CLAVDIVS AVG.
LIB. FORTVNATVS &c.

Cella promptuaria.] Gloss. *Penaria cella, promptuarium,* ταμιεῖον. *Cellarium, & cellar, promarium*: (ita docti legunt) ταμιεῖον. Stephan. Byzant. Ταμεῖον, οἶκος ἐν ᾧ τὰ ἀναγκαῖα ἀπετίθεσαν Firmic. de err. &c. *Omne quo vescuntur homines Penus vocatur. hinc & cella penaria.* Sidon. Lib. 2. Epist. 1. *Cui continuatur vicinante textrino cella penuaria.* Ammianus tralatè, *Promptuaria cella calumniarum.* nec male. Φρυνίχος ἐν σοφιστικῇ παρασκευῇ καὶ ἐπὶ τῶν κακῶν φησὶ τὸ ταμιεῖον, Ibid. Stephan.

Quantique sudores innocentibus hoc vno sudariolo afferantur.] Elegans cum irrisione παρήχησις, sic suprà, *Satis, vt puto, crinium crimen, quod illi quasi capitale intenderunt, refutatum est.* Et infrà. *Quod ad sudarium pertinet, omnem criminis maculam detersisse.* Lepidulum Lucium meum! mellitulum meum! meum cor & suauium! agnosco festiuas Ironias tuas, ingenium osculor. Pag. 63.

Cum habeam dicere.] Græcismus.

Manticularentur.] V. heic Colium. Scalig. ad Fest. H. Stephan. Animad. in Adag.

Sacrorum pleraque initia &c.] Miles. 3. *Sacris pluribus initiatus.*

Nihil insolitum, nihil incognitum dico.] Symmachus. *Non nouum, vel incognitum, sed compertum iam fide insinuo.*

Symmysta.] Gloss. Συμμύστης, *Consacraneus.*

Tacitè veneremini.] Ritu mystarum. Hesych. Μύστης, πλούμθνος, σιωπηλὸς. Tertullian. (siue alius quis) Carm. de Iudic. Dom.

Et picturatas timuit sine voce figuras,

apud Ægyptios vbicunque locorum colebantur Isis & Serapis, collocabatur iuxta Harpocrates statu os digito obsignantis. Augustin. de Ciuit. &c. Lib. 18. at quid de silentio loquor isto? sonant omnia.

Nec ad hoc tempus compono.] Hegesippus *de excid.* &c. 1. 41. *Id plerique ad tempus compositum rati.* Tacit. Annal. 1. *Sensit miles in tempus conficta.*

Pag. 64. *Primis diebus quibus Oeam veneram, publicè differens.*] Infrà. *Interibi* (Oeæ) *reualesco, differo aliquid postulantibus amicis publicè.*

Mentione Æsculapij relligiosis Oeensibus commendata.] Quomodo accipiemus hæc? an quasi Oeensium πολιοῦχος fuerit? minimè, nam & Carthagine differens ab eiusdem nomine exorsus est. Florid. 4. *Principium mihi apud vestras aures auspicatissimum, ab Æsculapio Deo capiam.* Ego diffusum eius cultum innui putarim, quo Dæmonas & Heroas omnes antestabat. In de Deo Socratis. *Eos tantum Deos appellant, qui iustè ac prudenter vitæ curriculo gubernato, pro Numine posteà ab hominibus prædicati, fanis & ceremonijs vulgò admittuntur: vt in Bœotia Amphiaraus: in Africa Mopsus: in Ægypto Osiris: alius alibi gentium: Æsculapius vbique.*

Relligiosis.] Casaub. *Relligionis*, quod non probo.

Memoria relligionis.] Dicemus infrà, ad ea *Eruditionis memoriam.*

Tot mysteriis Deum conscium.] Nouè dictum Casaub. ait, scribendumque *mysterium.* Auienus tamen,

——— *Quà surgenti terræ pars conscia Phœbo est.* Perieg.

& Tibullus ——— *Leuis occultis conscia cista sacris.*

Author Carminis de Phœnice,

Et sola arcanis conscia Phœbe tuis.

Quædam sacrorum crepundia.] Quæ supra proximè *initia sacrorum* vocat. Glossæ Isidori, *Crepundia, initia.* Gloss. Philox. *Crepundia*, γνωρίσματα, ἀρχαί. legit Vulcanius ἀρχαῖαι. vellem rationem addidisset.

Lineo texto] *Lintea texta* apud Symmach. lego, 4. 34.

Lana segnissimi c. e.] Multa Plutarch. Isid. & Osir.

Segnissimi corporis.] Vt supra *pectus* pro *corpore* posuit, ita heic *corpus* pro *animali* ponit. idem ante & post eum, etiam alij fecere. Virgil.

-- -- *Placidum carpebant fessa soporem*
Corpora. ——— Iulius Firmic. *Qui laborem terrenorum nocturnis opibus recreasti,* Ennodius Ticinens.

Tubera, perdices, grus, turdus, turtur, echinus:
Non implent ventrem corpora mille tuum.

hac facie Galli etiam *vn pauure corps* : Anglo-Saxones, *Some-bodye, No-bodye.* innuitur ab vtrisque non tam σῶμα quam ζῶον.

Non modò indutui & amictui sanctissimis Ægyptiorum sacerdotibus, sed opertui quoque in rebus sacris vsurpatur.] Apollonius apud Philostrat. Καθαρὸν μὲν Ινδοῖς δοκεῖ, καθαρὸν δ' Αἰγυπτίοις: ἐμοὶ δὲ καὶ Πυθαγόρᾳ διὰ τοῦτο σχῆμα γέγονε διαλεγομένοις, εὐχομένοις, θύουσι.

Facetiæ sibi habere.] Gellius Lib. 15. cap. 8. *Pro facetijs procedit.* Sidon. Lib. 3. Epist. 13. *Videntur sibi granditer facetiari.*

Facetiæ sibi habere, res diuinas deridere.] Nicet. Choniat. in Andron. Comneno. Ανθρωποι τοῖς θείοις ἐμπαροινοῦντες, καὶ μηδ' ὅλως Θεοῦ ἐμπαζόμενοι.

Res diuinas deridere.] Petronius. *Relligiones iocum risumque facere.*

Percensentibus ijs qui ipsum nouêre.] Cod. Florent. *Partim Ocensium q. i. n.* quod vt maximus nunc æui Criticorum probet, ego nullus amplectar.

Pag. 65. *Adorandi gratia manum labris admouere.*] Adeundi Pytheus Aduerf. Subsic. 1.17. Lipf. Elect. 2. 6. Glossæ Vindocinenf. MS. in Lib. Regum. *Osculans manum. Solebant osculari manum propriam, vt per hoc quasi osculum idolo porrigerent.* τιμᾶν τοῖς διὰ τῶν χειρῶν φιλήμασι vocat Libanius Orat. περὶ προσκυνεῖν: quam cum aliis tribus, ante triennium edidit è Bibliotheca Augustana, Clariss. ac iureconsultissimus Iacobus Gotofredus, vir in his studiis etiam qua parte voluit, eminentissimus.

Manum labris admouere.] Nec adorantium mos iste tantùm, sed & amantium. Miles. 6. *Iupiter perpressa Cupidinis buccula, manuque ad os suum relata, consuauiat.*

Diis rurationis.] Quos *Numina ruris* vocat Iuuenalis Sat. 14. Virgilius Georg. 2. *Deos agrestes.* Propertius.

------ *Deos quibus est tutela per agros.* Tibullus *Cælites agricolas*, Lib. 2. Eleg. 1. & *Agricolas Deos* Lib. 1. Eleg. 1. quod non aduerterunt Interpretes. verba eius.

Et quodcunque mihi pomum nouus educat annus,
Libatum agricolæ ponitur ante Deo.

legerim ------- *agricolas ponitur ante Deos.* sic in Authore de Nuce etiam contrà quam impressi, scribo.

Agricolas fructu præueniente Deos.

Porrò non alij sunt, quos Ἀγροίκων ἐφόρους Δαίμονας Alciphron in Epistolis vocat: & Inscriptio vetus Græca ΘΕΟΥΣ ΝΟΜΙΟΥΣ. Genera eorum quatuor memorat Maximus Tyrius Differt. 14. Ἐπικαρπίους, ἀλώους, De R.R. 1.1 ἐπιληναίους, προηροσίους: quos Varro duodecim numero complexus videtur, titulo *Consentium Deorum, Agricolarum ducum.* Extat in Arundellianis monumentis lapis selectissimus iste,

Inferatur heic Marmoris figura

quem ego huic loco non alienum puto, sacratumque à colono quopiam pio ac deuoto, ob fæliciorem prædij sui prouentum. Cui *falx* & *ramus* sunt insignia, *Saturnum* reor. Arnobius Lib. 4. (de effigie eius.) *Obunca falce, custos vt ruris, aut aliquis ramorum luxurantium tonsor.* Festus in *Opima. Ipse agrorum cultor habetur, nominatus à satu: tenensque falcem effingitur, quæ & agricolæ insigne.* Alibi de eodem, *Culturæ agrorum præsidere videtur*, &c. inde ARVALVS DEVS in antiquo lapide, apud Octau. Rossum in Brixianis memorijs. V. Macrob. Saturnal. 1. 7. Fæminas concharum gestatrices, puto *Nymphas* esse, adeóque ipsissimas illas de quibus vnicum hoc apud Hesychium inueni. Κογχυλαγόνες, γυναῖκες, νύμφαι. *Conchas* ad aquæ vsum refer. Varro vbi suprà: *Sine aquâ omnis arida & misera agricultura est.* Possunt & loci Nymphæ esse mulieres eæ. Inscript. vet.

SILVANO. SACR. ET NIMPHIS. LOCI
ARETE. DRVIS. ANTISTITA. &c.

planè coniecturæ fauet, quòd & heic *Syluanum* habes, alium non putem enim signare *Herculis* figuram. *Hercules* autem quo iure heic locum habeat, qui nescis, disce vel ex Plutarch. Quæst. Rom. Varr. Satyr. Macrob. Saturnal. apud quos de *Decimis* huic Deo votis, luculenta mentio. imò si è Græcia fulcrum non aspernandum putes, vide *Herculem* Heroa γεωργὸν, Bœotiis & Marathoniis cultum, apud Philostrat. 2. de Sophist. in *Herodis* vita. Et hæc obiter, pro tenui captu, atque infida memoriâ (neque enim Libri ad manum fuere) in istud elegantissimum marmor commentati sumus: non vt blandientes nobis, quasi assecutis sententiam eius, sed vt facem gestientes præferre, si quis insequi operæ pretium putauerit.

Segetis vllas, aut vitis, aut gregis primitias impertit.] Tibullus 1. 5.

——— Pro vitibus vuam,

Pro segete spicas, pro grege ferre dapes.

Nullum in villa eius &c.] V. Coluij Notas.

Nullus locus, aut lucus consecratus.] Florid. 1. *Quum aliquis lucus, aut aliquis locus sanctus in via oblatus est.* Cicero de Prouid. *Quis locus aut lucus in Græcia tota tam sanctus fuit?* &c.

Negant vidisse se qui fuere.] Lectio vel nucis putamine non licenda, quam tamen hactenus nemo improbauit. tentabam leui transpositione. *Fuere qui negant vidisse se* &c. minus id nunc placet, enim non dubito Apuleium scripsisse, *Negant vidisse se qui affuere.* h. e. *in finibus eius*, vt ex subsequentibus patet. hæc est correctio mea, quam nec suspectam, nec pœnitendam duco, infra. *Vidistis profecto qui affuistis*, &c.

Lapidem unctum.] Multa de hoc ritu Coluius ad 1. Florid. & Casaub. ad Theophrast. cap. περὶ δεισιδαιμονίας. Qualis heic verò *lapis* intelligendus? *terminalis* an *sepulchralis*? nam & cippi in finibus ponebantur, & nonnunquam pro terminis errorem faciebant. Siculus Flaccus de condit. agror. vngi etiam solitos constat ex Anacreonte.

Metam. 8. *Ramum coronatum.*] Ouid. ——— *Pendentia vidi*

——— Serta super Ramos ———

Arnob. Lib. 5. *Quid lanarum vellera quibus arbores colligatis, & circumuolutis stipitem?* Miles. 6. Noster. *Videt dona speciosa, & lacinias auro literatas, ramis arborum, postibusque suffixas.* Plutarch. Timol. Ex τῶν κρεμαμένων ἀναθημάτων ταινίας ἀπορρυεῖσα, καὶ φερομένη, στεφάνους ἔχουσα καὶ νίκας ἐμπεποικιλμένας, περιέπεσε τῇ κεφαλῇ τοῦ Τιμολέοντος. V. Etymolog. In Εἰρεσιώνη.

Manum non verterim.] Phalaris Epist. 63. Πάντων ἂν εἴην ἀψυχότατος, εἰ καὶ τῶν σῶν ἐπιστραφείην δραμάτων. Et 66. Ἐγὼ δὲ οὐδὲ τῆς ἐπὶ Περιλάῳ τιμωρίας ἐπαιρούμενος ἐπιστρέφομαι. Antholog. 7.

Τῆς λευκῆς καλάμης οὐδὲν ἐπιστρέφομαι.

Signum dato, & audiat &c.] τὸ signum exponere potes σύνθημα, h. e. *tesseram vocalem*, qualem Casaubonus affert ex Clemente Alexandrino, & Arnobio. Ego intelligi malim cuticulare quodpiam inuisum signum, quo participes sacrorum eorundem inuicem agnoscebant se. Minucius Fælix vocat *corporis notaculum* : suauissimus scriptor Prudentius, σφραγῖδα. Neque temerè hinc colligas, tametsi rara eorum mentio occurrat, fuisse apud Græcos, sacerdotes quosdam σφραγιστῶν nomine insignitos. apud Ægyptios certè, à quibus bonam partem τῆς τῶν Θεῶν θεραπείας hausere, fuisse eiusmodi munus disertissimè Plutarchus docet. Sacri enim ab iis in Typhonis execrationem facti ritus, ac cerimoniarum debita describens, τὸν μέλλοντα θύεσθαι βοῦν (inquit) οἱ σφραγισταὶ λεγόμενοι τῶν ἱερέων κατεσημαίνοντο. imò sigillum enarrans ipsum ex antiquioris se Historici fide, habuisse insculptum ait, ἄνθρωπον εἰς γόνυ καθεικότα, ταῖς χερσὶν ὀπίσω περιηγμένας : prorsus vt in sigillo isto marmoreo cubitali.

De Isid. & Osir.





ex Illustrissimi Arundeliæ Comitis reconditioribus cimeliis deprompto, ipsisque Athenis ab amicissimo & eruditissimo Pettæo in Britanniam aducto, cuius humanitati educimatissimæ imaginis istius non tantùm copiam acceptam fero, sed & μήνυτρα doctrinæ debeo de Plutarchi loco.

Quæ reticenda accepi, hæc ad profanos annunciare.] Lucillius apud Nonnium;

——— Clandestinò tibi quod commissum foret,
Ne mutires quidquam, nec mysteria referres foras.

Ad profanos annuntiare.] legend. *enunciare.* Miles. x. *Neque apud vos quæ ignoraui, possum enunciare.* Gellius Lib. I. cap. 23. *Placuitque vt eam rem super qua tractauissent, ne quis enunciaret priusquam decreta esset.*

Cuiuis iniquissimo.] Miles. 7. *Casus cuiuis iniquissimo dolendus.*

Omnem criminis maculam detersisse.] Claudianus 2. Eutrop.

——— Tunc ire recentes
Detersum maculas. ———

Gregor. Turonens. *Quò facilius detergeretur à crimine.* Optat. Mileuit. *Pulsa, atque extersa infamia.* Demost. Olynth. I. Ἀδοξίαν ἀποτριψόμεθα: vbi Vlpianus; οἱονεὶ ἐκκαθαρούμεθα καὶ ἀποπλυνούμεθα, ὡς μεταφορᾶς τῆς κηλῖδος, τῆς γενομένης ἀκαθαρσίας περὶ τὴν ἐσθῆτα. V. Etymolog. in Κηλίς, Festum in *Labes.*

Gumiæ cuiusdam.] *Gumias* quasi *Gurgites* dictos Turnebus vult, deducitque ἀπὸ τῶν κυμάτων. audiamus Scalig. potius, Not. ad Varr. *Gumia* à γόμος, quod est πλήρωμα τῆς νεώς: Latinis *Saburra*, inde Plauto *mulieres saburratæ.* Pag. 66. *Aduers.* 27. 8.

Me in eius domo nocturna sacra factitasse.] Probus in vita Alcibiadis. *Aspergebatur infamia, quod in domo sua facere mysteria dicebatur.*

A cæde & fumo.] VVower. & Marcilius, *A cinere e. f.*

De die.] h. e. non *interdiu*, sed *diluculò*, *summo mane.* sic ap. Plautum Asinar. *de die potare.* Sueton. Domit. *de*

die lauari. Tertullian de Spectac. *de die ad balneas condiscere*; quod in Apolog. vocat, *diluculò lauari.*

In ganeas correpat.] Propriè *correpat*, nam *correpimus* in occulta loca, cuiusmodi *ganea* sunt, & id genus latibula. Sylloge rariorum vocum è Gloss. vett. *Ganea*, (sic rectè Vulcanius,) *occulta loca & subterranea.* Isidorus. Orig. Lib. 10. *Ganeo, luxuriosus: tanquam in occultis locis & subterraneis.* Donat. in Adelph. *Veteres ganeum meritoriam tabernam dixerunt* ἀπὸ τῆς γᾶς, τουτ' ἐστὶ τῆς γῆς. Balb. in Cathol. *Ganeum dicitur locus in terra defossus, ad quem ad ludendum & scortandum populi confluebant.* allusit Noster etiam figuratè in de Platonis dogmate. *Cupidinem atque appetitum postremam mentis portionem, infernas abdominis sedes tenere, vt popinas quasdam & latrinarum latebras, diuersoria nequitiæ atque luxuriæ.*

Cauponis nidore.] Malim cum Brātio *caupona*, vel *cauponij*.

Vlyssi.] Diximus suprà.

Vlysses fumum terra sua emergentem.] Lucianus. Ὁ τῆς πατρίδος αὐτῷ καπνὸς λαμπρότερος ὀφθήσεται τοῦ παρ' ἄλλοις πυρός. Eustathius Ἐρωτικῶν Scriptor Libro 3. Καπνὸν πατρίδος οὐ μόνον ἐλευθερίας, ἀλλὰ καὶ θεώσεως αὐτῆς τιμιώτερον ἔκρινε. Philostrat. Ariad. Ὁ Θησεὺς δὲ ἐρᾷ, ἀλλὰ τοῦ τῶν Ἀθηνῶν καπνοῦ. Rutil. Numat.

Itinerar. Lib. I.

> ——— *Signa leuis fumi commendat Homerus,*
> *Dilecto quoties surgit in astra solo.*

Vincit sagacitate odorandi canes & vulturios.] Τῶν πτηνῶν καὶ τῶν πεζῶν, οἱ γύπες καὶ οἱ κύνες πόῤῥωθεν τῶν ὀσμῶν ἀντιλαμβάνονται. Suidas in Κοσχύλη.

Omnis fumi non imperitus] Vitam Parasiticam heic obijci rectè Casaubonus notat. Ea enim natio culinarum fumos captare solebat, vel (vt verbis Apuleianis loquar) nidores naribus hariolabatur. Ammian. Marcellin. Lib. 28. *Plerique distentioribus saginis addicti, praeeunte nidoris indagine, &c. humum summis pedum vnguibus contingentes, aulis adsistunt, digitos prærodentes dum patinæ deferuescunt.*

Quo solo censetur.] Celebratur. Glossa. *Censeri.* Ἀναγορεύεσθαι.

Facilius ad eum vini aura quam fumi perueniret.] Plaut. Curcul. ——— *Vinosissima,*

Eaque ex templo vbi vino has conspersi fores, de odore adesse me scit.

Ieiunus & abstemius.] Tertullianus de Chamæleonte, *Ieiunus & irrefectus.* quæ non laudo quasi eodem dicta modo quo Authoris verba, sed quia sub manum cadunt, nec fortassis infæliciter. Eruditissimus Interpres *indefectus* scribit: h. e. ἄλειπτος. (Noster Græcissans diceret, *fame melior.*) nam *irrefectus* (inquit) ipsum illud quod *ieiunus* est, ita bis idem diceret, quod absurdum foret. Nil imminutum ibimus ab illius Genio profectum, cuius acumen, εὐστοχίαν, eruditionem inter paucos suspicimus: stari tamen putamus posse à receptâ lectione, idque citra vllum sensus aut Latinitatis dispendiū. Miles. 7. Noster, *Cæcam & exoculatam Fortunam.* Nonâ, *Sub dio, & intecto conclusus stabulo.* Ibid. *Nudis, & intectis pedibus.* 3. *Intecti atque nudati bacchamur.* (ita in MSS. legi monent, vulg. *infecti b.*) x. *Nudo & intecto corpore.* Mirè frequentes Afri sunt in his loquutionibus, vbi Criticam limam ponere, foret polire in detrimentum, adhibere pumicem, detergere natiuam gratiam. De Pall.

Abstemius.] Rectè Casaub. *abstemius*, non ὁ μὴ μετέχων οἴνου, sed ὁ μὴ πίνων. Miles. 7. *Saucijs illis, & crapula vinolentiaque madidis, ipse abstemius vinum non cessat impingere.* Alibi *inuinium* vocat. Plautus & Horatius *Siccum.* Miles xi.

Ieiunus & abstemius, testimonium illud vendidisse.] Quare *ieiunus*? an vt plus fidei quæreret? an quod ita leges iuberent? eiusmodi quidem μαρτυρίας religionem in Pontificio iure seruatam video, vt *Decretal.* Lib. 2. *de Test.* c. 1. Et *Capp. Karoli* M. L. 3. *Tit.* 10. & 52. at in Pandectis nec volam illius reperio, nec vestigium.

Eius.] Videtur pro *Eiusmodi* positum, etsi, quod sciam, sine exemplo. Pag. 67.

Potius facturum.] Cod. Florent. *P. f. fuisse.*

Quintianum istum qui mihi adsistit.] Vt amicum decuit, amplius è consuetudine. Plin. in Epistolis, *Adsistebam ei* &c. *vt amicus.* Miles. 3. Noster. *Non contentus quod mihi nec adsistendi solatium perhibuit, insuper exitium meum cachinnat.* Cicero & Seneca vocant *reo adesse*. Græci Oratores, τῷ ἀπολογουμένῳ παρίστασθαι. Suetonius (contra Gellij mentem) *superesse*.

Pag. 68. *Non potest, nec in testimonio dando, discedere longius à culina.*] Trahas huc, nec inuita vt puto, Varronis ea in Modio.

Ganeones, quibus est modulus vitæ culina.

Et in Manio. *Habens ante positam alimoniam,*
Sedens alius alieno sumptu :
Neque post respiciens, neque ante prospiciens,
Sed limus intra limites culinæ.

Testimonium ex libello. &c.] Harpocration in Ἐκμαρτυρία. Donat. ad Andr.

Ex crapula helluo attentatur.] Legend. *heluco*, vel *eluco*, quod eódem cadit, Tertullian. de Corona mil. *Quod deræpatum sit caput ab beluco defensare.* Festus, *Elucum significat languidum & semisomnem*, &c. *sine halonem. id est, hesterno vino languentem; quem ἠλὸν Græci vocant.* Gellius

16. 12. *helucum* tarditatem animi, & stuporem interpretatur: ego grauedinem capitis cum succussione, nempe vt Etymon *crapula* respiciat. κραιπάλη enim est quasi καρηπάλη, ἀπὸ τοῦ κάρα, καὶ τοῦ πάλλειν, τοῦ δηλοῦντος τὸ κινεῖν: inde κραιπάλη, ὁ ἐκ μέθης παλμὸς, καὶ ὁ ἐπὶ δίνησις καὶ κίνησις τοῦ κάρα. Etymologus in κραιπάλῃ, & ἠλός. Eustath. ad

Orig. 20. 2. Iliad. α. & hoc verius quam quod Isidorus, *Crapula*, *quasi cruda, epula*.

Aduers. 7. 6. *Attentatur.*] Barthius, *abientatur*, sed nil mutatione opus, *crapula attentari* dixit vt suprà, *attentari morbo*: & Miles. 1. *fatigatione pertentari.*

Nam equidem hæc fabra &c.] Non extat locus aliquis in Authore nostro, cuius restitutioni Interpretes plus &

temporis & operæ dedêre. Legit post omnes è Florent. eruditiss. Salmasius, *Nam equidem heic Sabratæ eum hesterna die* &c. Libens acquiescerem, si habitam ibi Orationem putarem, constat non alibi autem quam Carthagine pronuntiatam.

Quid sit diei vides? dico Crassum iamdudum ebrium stertere.] Ex Plautinis illis in Trinummo.

Diei tempus non vides? quid illum putes
Natura illa atque ingenio? iamdudum ebriu'st.

Ad repotia cænæ obeunda, vinolentum sudorem in balneo desudare.] Plutarch. in de cura valetud. Οἱ μὲν ὑπὸ λαιμαργίας καὶ φιληδονίας ἐμβάλλουσιν ἑαυτοὺς ἐπὶ τὰ βαλανεῖα, καὶ σπεύδουσιν ἐπὶ τὰς παρασκευάς. Nonnunquam Sole apricabant etiam, vt se largius mero inuitarent. Arnobius I. *Numquid ideò dicenda sunt nubila inimicâ obductione pendere, quia libidini non permittitur otiosè rutilare se flammis, & causas potionibus præparare?* quandoque ad ignem. Sisenna 4. Historiarum. *Dum pristinum vinum apud ignem per sudorem corpore exhauserunt.*

Ne eum s. t. s. o. t. c. ne tu belluam &c.] Duplicatio particulæ reddit impeditum locum. expedies aliquid aliquâ si cum Steuuech. rescripseris. *Ne cum s. t. s. o. t. c. tu belluam* &c.

Caput iuuenis barbâ & capillo populatum.] De Artemone Anacreon apud Athenæum L. 12. Κόμην πώγωνά τ' ἐκτετιλμένος. quid autem *Populatum* illud? scripsitne Author *depilatum?* sanè hoc mollium erat, & Seneca pari argumento *struthiocamelum depilatum* dixit, Lib. *In sap. non cad. iniur.*

Madentes oculos.] Rutil. Lupus *de fig.* &c. L. 2. *Oculi mero madidi.* Ibid. *Oculi vinum lacrymantes.*

Manuum tremorem.] Pers. ---*Tremor inter vina subit*--- Seneca. *Pallor, & neruorum vino madentium tremor.* Plinius eod argum. *Oculorum vlcera, tremulæ manus.* Glossæ. Mediæ. *Trementura, ebrietas.* Vbi vide artectè Vulcanius, *Temulentia, e.* *Nat. qu. 5.* *Lib. 14. cap. 22.*

Pag. 69. *Ructus nam patrimonium* &c.] Sana in ſpeciem omnia: vlcus in receſſu latet. Codex Florentinus habet *ructu ſpinam patrimonium* &c. Fuluij Vrſini Liber, *Ructus ſpinam p.* hæc quum non caperet VVouuerius, *Ructus fætidos* repoſuit, & Scipio pari licentia *ructum de cupâ*. At ô Dij boni! quid ad veterem ſcripturam hæc? cur non eadem operâ ſuggeſſere *ructus amarulentos*, *de caupona*, & ſimilia? imò quidquid ſub calamum cecidit, etſi remotiſsimum? Rutgerſius ſanè modeſtiùs *rictus ſpumam* legit. Ego poſt omnes ſcribo *ructus popinam*. Cicero in Piſon. *Quum iſto ore fætido teterrimam nobis popinam inhalaſſes*. Claudianus Mamercus De ſtatu animæ. 2. 9. *Inhalare cloacam ventris, & ſentinam oris*. Iudicent eruditi.

Nam patrimonium] lege *Patrimonium* &c. τὸ *nam* ad *popinam* pertinet.

Patrimonium omne iampridem abligurriuit.] Cænis nempe, cupediis, & culinæ ſumptibus. Cicero Catilin. 2. *Patrimonia ſua profuderunt, fortunas ſuas abligurrierunt*. Terentius. *Patria qui abligurrierat bona*. Sidonius Lib. 9. Ep. 6. *Quantum de bonuſculis auitis paterniſque, ſumptuoſitas domeſticæ Charybdis abligurriſſet*. *In patrimonio helluari* vocat Gellius 2. 24. *Familiam & pecuniam ſuam prandiorum gurgitibus proluere*. Noſter infrà *In ventrem condere*. Athen. (Lib. 4.) τὴν πατρῴαν οὐσίαν σφαῖραν ποιεῖν, ſiue vt pillulam deglutire. Huc pertinet quod de Actæone Fulgentius ex Anaximene. (Mytholog.) *Dum periculum venandi fugeret, affectum tamen canum non dimiſit, quos inaniter*, (lege *immaniter*) *paſcendo, penè omnem ſubſtantiam perdidit: ideò à canibus ſuis dictus deuoratus eſſe.*

Nec quidquam ei de bonis paternis ſupereſt, niſi vna domus ad calumniam venditandam.] Et hæc è Plauti Sticho.

Nec aliud quidquam niſi hoc quod habeo pallium
Præterque linguam vnam venditariam.

uel ex his Trinummi.

Eſt ager ſub vrbe heic nobis, eum dabo
Dotem ſorori, nam is de ſtultitia mea

Solus superfit prater (lego *propter*) *vitam reliquus.*

Et potui denunciatione impedire.] id est, inquit Gentilis, *impedire ne Testimonium diceret.* esto. at non interim exponit *denunciandi* verbum. Ego *denunciationem* accipio heic pro *delatione*, indicio criminis istius Magistratui. saltem legendum putem *denunciationem impedire*: id est, *iniustam mei accusationem*. Budæus in forensibus, *Deferre nomen alicuius vt malefici, est ferè quod Denunciatorem esse dicunt, non iustum accusatorem.* In quæ verba tamen quia exemplis non firmat, non iurari velim.

Damno affici.] Glossarium *Affici damno*, Ζημιοῦσθαι.

Hauddquaquam occulta res acta est.] lege cum Casaubono *occultò*; nam non nouam rem narrat quampiam, sed eam de qua suprà proximè, Crassi Testimonium. Qui alia ruspantur heic, & ad subsequens quidpiam referendum putant, næ illi quasi cæcæ bestiæ incassum hiant.

Intercessoribus & deprecatoribus ipso Ruffino & Calpurniano.] Sensus est, intercessione ac suasu istorum Duumvirûm, Æmilianum tribus millibus nummûm emisse Crassum testem. Id quod studiosius (inquit Apuleius) Ruffinus contendit, quia præsciuit in vxorem suam (cuius stupra sciens dissimulabat) pecuniæ illius maximam partem à Crasso erogatum iri. Hæc vera loci sententia est, quam si perspectam habuisset non indoctus vir quidam, proculdubiò vulgatam scripturam non mouisset, vt obtruderet *depreciatoribus*: ridiculè simul exempla congesisset quæ suo ipsius sensui pugnant. *Depreciare* enim, est conari vt quam minimò acquiras quid, vili æstimare. (Gloss. Vindoc. MS. *Aspernatur, contemnit, depegit.* (lege *depreciat.*) quo quid oppositum magis Rufini artificio?

Coitionem aduersum me.] Glossæ. *Coëris*, (lego *cœtus*) *Coitio*, Συνέλευσις. Lex Sempronia. *Qui conuenerit. consenserit, coierit.* &c. Lex Gabinia. *Qui coitiones* &c. *conflauisset.*

Soluta audacia.] Hærent heic nonnulli. Brantius *solida*, alij *solita*. at purior lectio est vulgaria quam vt moueri

In Philippo. debeat. Aurel. Victor. *Quum Pontificum lege hostia mactarentur, suis vtero maris fæminarum genitalia apparuere. id aruspices solutionem posterorum portendere, vitiaque fore potiora interpretari.* Doctissimus Schottus *solutionem* exponit *mores dissolutos*. Sumpta est vt videtur, loquutio hæc à corporibus languidis & solutis. Casaubonus ad ea Persij.

——— *Laxumque caput compage soluta*

Oscitat hesternum ----

ait quos Græci ἐκλύτους vocant Latinis *dissolutos* esse: solereque Scriptores virtuti τόνον ac robur tribuere, quia vt valentis hominis corpus est robustum, non valentis languidum & παραλελυμένον: sic cuius animo inest virtus, cum omnia vitæ officia implere facile; contrà qui deprauatis sunt moribus, nec corpore nec animo valent ad præstanda quæ vsui sunt officia, eos ἐκλύτους & *dissolutos* vocari. *Solutam audaciam* porrò explicare poteris *effrenatam*: *Pro Rosc.* Cicero *præruptam* vocat, sumpta ab equis metaphora, quorum impetus sine ope fræni incohibilis est. atque hæc est expositio Turnebi. Aduers. 30.34.

Pag. 70. *Non quod pinnarum* &c.] rectius edit. Veneta. *Non quò*. V. Liuineij Not. ad vett. Panegyr.

Pinnarum formidines] Alludit notas illas *venatorias formidines*. V. heic Coluium. Meurs. ad Lycophron. Ritterhus. ad Oppian. Cyneget. 4. Nicol. Loens. Epiphyll. 7.1. Turneb. Aduers. 5.5. Lips. ad Senec. de Clement. 1.12.

Æmiliano, homini rustico] suprà. *Æmilianus, vir vltra Virgilianos opiliones & bubsequas, rusticanus*. Infra de eodem *Rustico & barbaro*.

Fumum vendidit] Sed & hæc de *fumi venditoribus* notissima: V. Quintilian. Mandos. de Prax. & Theor. Commiss. a. P. dat. Commiss. 25. verbo *Remissoria*.

Ligno exquisitissimo] Si iuuarent Codices, legerem *quæsitissimo*. Sic apud Salustium *epulæ quæsitissimæ*: & *quæsitior adulatio* apud Cornel. Tacitum, qui etiam hac truncâ facie *curatiùs* pro *accuratiùs* posuit, 2.14. & 16. Annal. Libris.

forsan Authori vox ea redonanda etiam. ait in Floridis, *Plenius gratias canaciusque libro mandabo.* Pius *capacius* rescripsit, alij *cantatius*, & *causatius*: ego *curatius* legerim. at non oggero coniecturam meam: vt apud Varronem loquitur Xenophanes Colophonius, *tantum quod putem pono, non quod contendo.* Lib. 5.

Nuncupare Βασιλέα] Tractum hoc ex imâ penu vetustatis. passim in vet. Instrumento Idola hoc vocabulo insignita videas. V. Cl. Selden. *de Dijs Syris*, Syntagm. 1. cap. 2. & 6.

E buxo] Non erat cur Coluio hanc emendationem eruditi scriberent, vindico eam Authori ego, Erasmo, quem in Adag. vide. Chil 2. Cent. 5.

Affabrè factos.] Cicero Verr. 2. *Affabrè atque antiquo artificio factus.* Miles. 11. Noster, *Nauem fabrerrimè factam.* Plautus. *Hoc lepidum est, hoc factum est fabrè.* Glossæ Vindoc. MS. *Fabrefactum, ornatè compositum.* Excerpta è vett. Glossis, *Affabrè,* καλῶς. contra apud Nonnium Pacuuius *Infabrè.* apponâ verba eius hactenus corruptè edita.

Barbaricam pestem nauibus nostris obtulit,
Noua figura factam, commissam infabrè.

doctiss. Dionys. Gotofredus quia *nauium* mentio, *restim* legebat; at non exemit mendum, & vt exemisset, neque sic versum purgasset, nam & ipsa vox *nauibus* vitiosa est; maculam vtramque nos hoc modo abstersimus.

Barbaricam vestem manibus nostris obtulit.

vestem acu pictam nempe, à Phrygionibus elaboratam. Miles. x. *In modum Paridis Phrigij pastoris, Barbaricis amiculis &c. indusiatus.* Virgil. Æn. xi.

Pictus acu tunicas, & Barbara tegmina crurum.

Quacunque materiâ, dummodò ligneâ.] Rationem infrà ponit ex doctrina Platonis.

Ebeni loculos.] Ita etiam Florent. Cod. Elmenhorst. *baculos* mauult. vt vt sit, innuuntur heic quos Plinius & Arrianus φάλαγγας vocant. Claudianus *Ramos ebeni.* Lucanus *ebeni comas,* Lib. 2. cap. 4 Peripl. M. Er. Carm. de Nilo. Lib. x.

Pag. 71. *Mendacij non reuincat.*] Vlpian.l 3. de suspect. tutor. *Si datis pupillo aduocatis in mendacio reuincatur.*

Splendidißimus Eques.] Valer. Lib.7.cap. 8. *Filius Carseolani Equitis splendidißimi.* Lapis.

A MVNIO A. F.
MINVTIO EVARISTO.
SPL. EQ. ROM. PAT. COL.

9. 5. Plinius, *Authores habeo in Equestri ordine splendentes.* Cicero Philipp.13.*Trebonij Pater splendidus Eques.* 10. Famil. *Splendore Equiti Romano nemini cedit.* Pro Cæcinna. *Splendor Equestris ordinis.* pro Roscio. *Equestrem splendorem.*

Quem quidem abfuisse in eo tempore scitis.] Suprà. *Eo in tempore, quo me non negabunt in Getulia mediterraneis montibus fuisse.*

Euisceratam formam.] Pacuuius apud Ciceron.

Adspectu truci, euiscerata, inanima.

euiscerata forma quæ nullo *viscere.* h. e. *carne* contegitur. inde apud alios Scriptores *ossea* vocata. Ouidius.

Insequar & vultus ossea forma tuos.

Seneca Epist. 24. *Laruarum habitum nudis oßibus cohærentium.* Lucian. φιλοψευδ. Μόνα τὰ ὀστᾶ κατὰ σχῆμα συγκείμενον.

Pag. 72. *Larualem.*'] Miles.1. *Laruale simulachrum.* Sidonius. *Facies veluti vmbris mæstificata larualibus.*

Morem mihi habeo, quoquò eam, simulachrum alicuius Dei inter libellos conditum gestare.] Eandem hanc consuetudinem alludunt Arriani ea. Θεὸν περιφέρεις τάλας, δοκεῖς με λέγειν ἀργυροῦν τινα ἢ χρυσοῦν ἔξωθεν, ἐν σαυτῷ φέρεις αὐτόν.

In Epictet. 2. 8. Ammian. Marcellin. de Philosopho Asclepiade. *Cælestis Deæ argenteum breue figmentum quocunque ibat, secum solitus efferre.* Neque aliter nonnulli à morte colebant sanguine aut amicitia iunctos, quos quia sub figurâ hominum non audebant venerari, in speciem Numinum cælestium ef-

figiandos curauerunt, vt vel sic diuino cultu prosequerentur eos. Milesia 8. Noster in historia Charites. *Dies totos, totasque noctes insumebat luctuoso desiderio, & imaginem defuncti* (Tlepolemi mariti) *quam ad habitum Dei Liberi formauerat, affixo seruitio, diuinis percolens honoribus, ipso se solatio cruciabat.* Nullum verò in Antiquitate omni tam insani officij illustrius specimen exquiras, quam illud Ægypti Regis *Mycerini*; quod profectò libenter, & prope operâ deditâ huc aduocatum volui, quia non tantùm ex Herodoto superest, sed & antiquo Marmore Venetijs, in ædibus Illustrissimi Mauroceni D. Marci Procuratoris. Indaginem delineationemque eius (vt & aliorum quoque quæ indignè his nugis inseruimus) debemus nunquam laudato satis Pettæo nostro; applicationem ad Historici narrationem Patricio Iunio, serenissimi Regis nostri Bibliothecario, homini ad literaturæ omnis, duntaxat Græcæ beneficium nato. Lapis autem quia vt instructiùs accedatur, inspiciendus est Herodoti locus, nec is fortasse omnibus ad manum, frugi & compendij duximus eum heic in medium proferre prout visitur Cap. 129 Euterpes in hæc verba. Εόντι δὲ ἠπίῳ τῷ Μυκερίνῳ κατὰ τοὺς πολιήτας, καὶ ταῦτα ἐπιτηδεύοντι, πρῶτον κακῶν ἄρξαι τὴν θυγατέρα ἀποθανοῦσαν αὐτοῦ: τὴν μοῦνόν δὲ εἶναι ἐν τοῖσι οἰκηίοισι τέκνον. τὸν δὲ ὑπεραλγήσαντά τι τῷ περιεπεπτώκεε πρήγματι, καὶ βουλόμενον περισσότερόν τι τῶν ἄλλων θάψαι τὴν θυγατέρα, ποιήσασθαι βοῦν ξυλίνην κοίλην, καὶ ἔπειτα καταχρυσώσαντά μιν ταύτην, ἔσω ἐν αὐτῇ θάψαι τὴν ἀποθανοῦσαν θυγατέρα. αὕτη ὦν ἡ βοῦς γῇ οὐκ ἐκρύφθη, ἀλλ᾽ ἔτι καὶ ἐς ἐμὲ ἦν φανερή, ἐν Σάϊ μὲν πόλι ἐοῦσα, κειμένη δὲ ἐν τοῖσι βασιληίοισι ἐν οἰκήματι ἠσκημένῳ, θυμιήματα δὲ παρ᾽ αὐτῇ παντοῖα καταγίζουσι ἀνὰ πᾶσαν ἡμέρην, νύκτα δὲ ἑκάστην πάννυχος λύχνος παρακαίεται, ἀγχοῦ δὲ τῆς βοὸς ταύτης ἐν ἄλλῳ οἰκήματι εἰκόνες τῶν παλλακέων τῶν Μυκερίνου ἑστᾶσι, ὡς ἔλεγον οἱ ἐν Σάϊ πόλει ἱρέες: ἑστᾶσι μὲν γὰρ ξύλινοι κολοσσοὶ ἐοῦσαι ἀριθμὸν ὡς εἴκοσι, μάλιστα κῃ, γυμναὶ κείμεναι, αἵτινες μέντοι εἰσὶ οὐκ ἔχω εἰπεῖν πλὴν

ἢ τὰ λεγόμενα. Et non multo post, Ἡ δὲ βοῦς τὰ μὲν ἄλλα κατακέκρυπται φοινικέῳ εἵματι, τὸν αὐχένα δὲ καὶ τὴν κεφαλὴν φαίνει κεχρυσωμένα παχέϊ κάρτα χρυσῷ, μεταξὺ δὲ τῶν κερέων ὁ τοῦ ἡλίου κύκλος μεμιμημένος ἔπεστι χρύσεος, ἔστι δὲ ἡ βοῦς οὐκ ὀρθὴ, ἀλλ' ἐν γούνασι κειμένη, μέγαθος δὲ ὅσηπερ μεγάλη βοῦς ζωή: ἐκφέρεται δὲ ἐκ τοῦ οἰκήματος ἀνὰ πάντα τὰ ἔτεα, ἐπεὰν τύπτωνται οἱ Αἰγύπτιοι τὸν οὐκ ὀνομαζόμενον θεὸν ὑπ' ἐμεῦ ἐπὶ τοιούτῳ πρήγματι. τότε ὦν καὶ τὴν βοῦν ἐκφέρουσι εἰς τὸ φῶς: φασὶ γὰρ αὐτὴν δεηθῆναι τοῦ πατρὸς Μυκερίνου ἀποθνήσκουσαν ἐν τῷ ἐνιαυτῷ ἅπαξ μὲν τὸν ἥλιον κατιδεῖν. nec diutius à conſpectu lapidis detinebo te.

Inſeratur marmoris figura.

Inter libellos conditum.] Statuas inter *Libros* conditas vix putem. diſpice an *loculos* ſcripſerit Apuleius. Iuuenalis.

Sat. 13.

——— *Loculis quæ cuſtoditur eburnis.*

Ouidius in Faſtis

Gramina continuò loculis depromit eburnis.

Iuſsi curriculò iret aliquis, & ex hoſpitio meo Mercuriolum adferret.] Miles.10. *Iuſsi de meis aliquem curriculò tabernâ promptam afferre.* Ibid. *Miſitque protinus curſorem.* Suprà heic. *Miſimus qui eum curriculò aduehat.* Vocem hanc, vt omnia, Author ſignantiſſimè extulit. *Liberi* inceſſus lentus debet eſſe, & compoſitus, *ſerui*, (ex more) properus & citatus. Plaut. Pœnul.

Liberos homines per Vrbem modico magis par eſt gradu
Ire, ſerui eſſe ãnco feſtinantem (lego *feſtinatim*) *currere.*

cui geminum dictum eſt Seueri apud Lampridium. Gellius Lib.17.cap.8. *Verbero, nonne is curriculò?* Colloquia vett. Scholaſt. Σὺ δὲ παιδάριον ὕπαγε, τρέχε ταχέως. hinc apud Æſchylum in Prometh τρόχις. Scholiaſtes ἀπὸ τοῦ τρέχειν deducit, exponitque τὸν σπουδαῖον οἰκέτην, τὸν σπουδαίως πράττοντα τὰ προστάγματα τοῦ κυρίου αὐτοῦ, καὶ μὴ βραδύνοντα, ἢ χρονίζοντα.

Auditiſnè reclamationem omnium qui adſunt?] Muſſitabat nempe præ indignatione circumſtantium corona.



35 *Crispatus capillus.*] Marc. Capella L. 4. *Crines tortuosi, decentique inflexione crispati, & nexiles.* Miles. xi. Noster.



Auditisne reclamationem omnium qui adsunt?] Mussitabat nempe præ indignatione circumstantium corona. 35

Frequentes in conuentibus fuere hoc genus θόρυβοι, quoties auribus ingererentur molesta ἀκροάματα. Cicero Philip. 6. *Quinque & triginta Tribus Patrono Pop. Romani. Igitur est Patronus L. Antonius? malam quidem illi pestem. clamori enim vestro adsentior.* Noster infrà de accusatoribus suis. *Vide quæso Maxime quem tumultum suscitarint, quoniam ego paucos Magorum nominatim percensui.* D Crysost. Homil. 5. in Epist. ad Tit. Πολλὰ ὑμῖν γένοιτο ἀγαθά, ὅτι οὐδὲ τὸ ῥῆμα ἀκοῦσαι φέρετε.

Et succi plena sit.] Cod. Florent. *Succi pala & vici sit.* legend. *Succi palæstrici plena sit*, vt rectè habent nuperæ editiones quædam. De eodem Marcian. Capella Lib. 1. *Palæstra crebrisque discursibus exercitum corpus, lacertosis in iuuenilis roboris excellentiam toris, virili quadam amplitudine renidebat.* (aio legendum ego *renitebat.*) quem locum ita imitatus est Lactant. de opif. Dei, cap. 10. *Valida, & substricta neruis ad fortitudinem brachia, toris insignibus extentum lacertorum ingens robur.* Theophilact. Simocatta Histor. Mauric. Lib. 7. cap. 16. Τὴν παρειὰν τοῖς εὐσωματοῦσι, καὶ περὶ τὰς παλαίστρας γινομένοις παρεοικώς. D. Hieronym. ad Paul. *Corpus solidum, & succi plenum.* Florid 2. Noster. *Ceruix succi plena.* Hilarius in vita Honorati. *Speciosa facies, & prius succi plena, fit plena grauitatis.* Martialis (Græcorum ὑγρότητα alludens) *liquorem* vocat, sic apud Ambros. de Offic. *Vox succi virilis plena: cui rythmum* opponit *scænicum & modulatum.*

Lanugo malis deserpit.] Miles. 7. *Commodùm lanugo malis inserpebat.* Græci eâdem venustate ἕρπειν. Philostrat. in Epist. Ἕρπει ὁ ἴουλος, αἱ δὲ παρειαὶ χνοάζουσι. Callistratus in Imag. Occasionis. Η κόμη κατὰ τῶν ὀφρύων ἐφέρπουσα ταῖς παρειαῖς &c. Theodoret. περὶ προνοίας Serm. 8. Τοὺς ἰούλους, ἔχων ἐπὶ τὴν γένυν καθέρποντας. Tralatio ab hædera, inde apud Theodor. Prodrom. Πλοκαμῶν κισσὸς, *Amorum* &c. Lib. 6.

Crispatus capillus.] Marc. Capella L. 4. *Crines tortuosi, decentique inflexione crispati, & nexiles.* Miles. xi. Noster.

Capillos in mutuos nexus obditos atque nodatos. Vetus Glossarium, *Crispicapillus*, Οὐλόθριξ.

Quam lepide super tempora pares pinnulæ emineant.] Miles x. *Inter comas eius aureæ pinnulæ cognatione simili sociatæ prominebant.*

Pag. 73. *Quam festiuè circa humeros vestis substricta sit.*] *Vestis* hæc est quam alibi vocat *Ephebicam chlamydam*. Velabat ea humeros tantùm adusque articulos palmarum, vt in statua *Bathylli* 2. Floridorum. sed de schemate cognoscamus. Quod ait Author *circa humeros substringi* eam, id verò non ita accipio, quasi de sub dextro ad lænum recurreret, (quâ tamen sæpius figurâ fingitur in lapidibus & nummis) sed eam structuram imaginor quam in de Pallio Tertullianus ponit; *regestam ab vtroque laterum, ceruicibus circumstrictam.* hoc est, (vt eruditissimus ibi Interpres) ἑκατέρωθεν ἀναβεβλημένην. Describit clarè

Cyneget. 1. his verbis Oppianus.

Αὐχένος αὖθ' ἑκάτερθε παρήορον ἐκ παλαμάων
Εἷμα περιστέλλοιτ' ὀπίσω δ' ἀραρὸν ὑπὲρ ὤμων
Ῥήϊον εἰς κνήματον. ——— Et Philostrat. in Meleagro,

Capt. & Epid. Χλαμύδα ὑπὲρ αὐχένος κολπώσας, τὸ θηρεῖον ἐφίσταται. Plautus *In collum pallij coniectionem* vocat. Neque est vt hinc putet quis delapsurum humeris amiculum: prohibebat id fibula submentalis, cuius morsu collo acquiescebat.

Carm. 2. Sidonius. *Fibula mordaci refugas à pectore vestes.*
Dente capit. ———

modum apertius vide in hoc veteris gemmæ Ectypo.



Daat.] Det. Gloss. *Duit Δolni Duint.* Δοῖεν, δώσουσιν.
Deus iste Superûm & Inferum commeator. Miles. xi. *Ille Superûm commeator & Inferûm.* Inde Aristot. & Luciano κοινὸν κτῆμα: Claudiano *Rhet. 2.* *In Vot.*

——— *Commune profundis*
Et superis Numen, qui fas per limen vtrumque
Solus habet, geminoque facit commercia mundo.

innuitur Physicè accessus & recessus Solis, qui apud Ægyptios idem cum Mercurio; itaque simulachra eius quædam cærula fingebant, alia clariore specie: quorum illa quidem *infera*, hæc *supera* vocabant. Videsis Macrob. Sat. 1. 19. & Albricum de pileo eius, partim albo, partim nigricante.

Malam gratiam.] Miles. 6. *Bonæ preterea fœminæ malam gratiam ſubire nequeo.* Terent. Phorm.

Potius cum bonâ vt componantur, quàm cum malâ

12. 9. *gratiâ.* Metellus Numidicus apud Gellium, *Malum honorem.*

Lemurum.] Gloſſ. *Lemures*, Νυκτερινοὶ δαίμονες. Nonnius Marcellus *Lemures, laruæ nocturnæ, & terrificationes imaginum* &c. Noſter in de Deo Socrat. *Eſt & ſecundo ſignificatu ſpecies Dæmonum animus humanus, emeritus ſtipendijs vitæ, corpore ſuo abiurans:* (malim *abiugatus*:) *hunc vetere linguâ Latinâ reperio Lemurem dictitatum.* Species horum duas ſubdit, *Larium*, & *Laruarum*: illi poſterorum ſuorum curam ſortiti, placato & quieto Numine domos ac familias poſſidebant: hæ ob aduerſa vitæ merita, incerta vagatione, ceu quodam exilio punitæ, bonis hominibus inane terriculamentum, malis noxium diſcurrebant. tales Miles. 9 *dira Numina* vocat. quùm verò incertum eſſet quæ cuique ſortitio eueniſſet, nimirùm vtrum *Lar* eſſet, an *Larua*, ſolebant *Deum Manem* nuncupare, *Dei* vocabulo addito honoris ergô. Clarè & ſtrictim ex Authore poſui horum Dæmonum differentias, nec, vt arbitror, loco importuno, vbi de quatuor tres occurrunt.

Noctium occurſacula.] Horat. *Nocturnus occurram furor.* Iuuenalis Sat. 5.

Et cui per mediam nolis occurrere noctem.

Sepulchrorum terriculamenta.] Ammian. Marcell. *Sepulchrorum terrores.*

Terriculamenta.] In de Deo Socrat. *Inania terriculamenta.* Vet. Onomaſt. *Terriculamenta*, φόβητρα.

Æquo & merito.] Non me fugit vel tacentibus Expoſitoribus, ita poſſe hæc intelligi, quaſi à morte Æmilianus in Laruam migraturus eſſet; (ita enim Platonici cum ſceleſtis peragi putabant.) auſim tamen *emerita* præferre longo interuallo: Noſter vbi ſuprà. *Emeritus ſtipendiis vitæ.* Nemeſian. Ecl. 1.

Emeritæ

——— *Emeritæ permensus tempora vitæ.*

Idem Cyneg. ——— *Emerito vigor est iuuenilis in æuo.* Festus, *Mortuus, ab emeritâ vitâ dictus.*

In extimo mundi tergo.] Appellat *tergum*, cæli *partem conuexam*, vt passim Græci, τὰ τῶν οὐρανῶν νῶτα. sic *partem concauam*, Ennius *Cortinam*, *fornicem*, *palatum*.

Scit me vera dicere Maximus.] Saluian. 1. de Gubern. *Sciunt me vera loqui, & testimonium etiam mihi conscientiæ suæ dicunt.*

Nuncupatus[βασιλεύς.] Quæ sequuntur, è Florent. Cod. Elmenhorst. suppleuit: legit autem, περὶ τὸν πάντων βασιλέα, πάντ' ἐστὶ, κἀκεῖνος ἕνεκα πάντων.

Totius rerum Naturæ causa & ratio, & origo initialis.] Sidon. Lib. 1. Epist. 2. *Deus arbiter & ratio Naturæ.* Macrob. Somn. Scip. 1. *Prima causa, vnus omnium quæ sunt, quæque videntur esse, fons & origo.* Lactant. 1. XI. *Fons & origo rerum.* Saluian. de Gub. 4. *Fons & origo cunctorum.* Boëth. Consol. *Rex & Dominus: fons & origo.*

Origo initialis.] Miles. 4. de Venere. *Elementorum origo initialis.*

Animantum sospitator, assiduus mundi sui opifex: sed enim sine operâ opifex, sine curâ sospitator.] In de mundo. *Sospitator quidem ille & genitor est omnium qui ad complendum mundum nati factique sunt: non tamen vt corporei laboris officio orbem istum manibus suis instruxerit, sed qui quadam infatigabili prouidentiâ & procul posita cuncta contingat, & maximis interuallis disiuncta complectatur.*

Paucis cogitabilis, nemini effabilis.] Plato, Θεὸν εὑρεῖν τε ἔργον, εὑρόντα δὲ εἰς πολλοὺς ἐκφέρειν ἀδύνατον. Ex eo Noster, *Cuius naturam inuenire difficile sit, si inuenta sit, eam in multos enunciari non posse.* Et Minuc. Octau. *Quem & inuenire difficile præ nimiâ & incredibili potestate, & quùm inueneris, in publicum dicere impossibile.*

Quod superest, nec ipse sum nescius quosdam circumstantium cupere audire &c.] Imper. Manuel Palæolog. Orat. 5. Pag. 74. Οἶμαι δέ τινας τῶν παρόντων σαφέστερον ἐθέλειν ἀκοῦσαι &c.

Idque eos arbitror tam ignoſcendi &c.] Rectè Florent. Cod. *Non tam ignoſcendi.*

Non tam ignoſcendi quam cognoſcendi. In de Deo Socrat. *Repentina noſcitis ſimul & ignoſcitis.*

Χρυσὸς δὲ καὶ ἄργυρος. &c.] Lampridius de Seuero. *In templis nunquam præter quatuor aut quinque argenti libras, auri ne guttulam quidem aut bracteolam poſuit, ſuſurrans verſum Perſij.*

——In ſacris quid facit aurum?

Georg. Cedrenus de Imper. Nicephora, Τοὺς ἀπ' αἰῶνος ἀναθεμένους τῷ Θεῷ χρυσᾶ ἢ ἀργυρᾶ σκεύη ἔψηγε, καὶ τὰ τῶν ἐκκλησιῶν ἱερὰ κοινοῦσθαι ἄξιον ἐδογμάτιζε. Locus Platonis laudatus Noſtro, eſt in *de Legg.* 12. cui & alij affines extant in Alcibiade & Eutyphrone.

Ξύλον δὲ &c.] Hæc Plato, non quod purius cenſeret hoc, aut ad Deorum cultum accommodatius, ſed vt ne in totum imaginum vſum videretur tollere, τὴν Ἀθηναίων φιλοτιμίαν (ὡς ἔοικεν) ὀρρωδήσας, καὶ τὸ τῷ Σωκράτει προσενεχθὲν ὑφορώμενος κώνειον, vt notat Θεραπευτ. 3. Theodoretus.

Vt vitæ Magiſtro, ita cauſſæ Patrono.] De Ariſtotele Themiſtius Orat. 1. Ὃν προεστάξάμην βίου τε καὶ τῆς σοφίας. De eodem Cicero. 3. de Orat. *A quo ille* (Alexander) *& agendi acciperet præcepta, & eloquendi.* Ibid. de Platone, *Ille non lingua ſolùm, verùm etiam animi, ac virtutis Magiſter.* Iterum. *Iidem erant viuendi Præceptores, & dicendi Magiſtri.* Florid. 1. Noſter, de Philoſophia. *Diſciplina regalis, tam ad benè dicendum, quàm ad benè viuendum reperta.*

Qui non modo vllo facto &c.] Plaut. Aulular.

De te neque re neque verbis merui, vt faceres quod facis.

Pag. 75. *Totius rei ordinem* &c. *petere.*] Infrà. *Ordinem repetiuit eundem.* Iterum, *Ordinem rei breuiter perſequor.* Suprà. *Omnem ordinem rei geſtæ.*

Proſperum matrimonium.] Loquitur ſignatè. Tertullian. Apolog. *Fælicitas matrimoniorum de moribus proſperata.* Sidon. Lib. 2. Epiſt. 4. *Optantij Cl. Viri* &c. *filiam*

(*quod Deo prosperante succedat*) *licet in coniugium petierit,* &c. Idem Carm. 14.

Prosper connubio dies coruscat.

Iuuenes laudis gratia.] Fabius. *Principes in Republicâ viri non detrectauerunt hanc officij partem, creditique sunt etiam clari iuuenes obsidem Reipublicæ dare malorum ciuium accusationem: quia nec odisse improbos, nec simultates prouocare nisi ex fiduciâ bonæ mentis videbantur.*

Insigni iudicio noscerentur.] Sic in de Dogm. Plat. *simili iudicio cognosci.* heic autem cum Meursio malim, *indicio.*

Qui mos &c. *diu exoleuit.*] Rationem pete è Cicer. Orat. 5. in Verr. vnde totum hunc locum deprompsisse Apuleium puto.

Rustico & barbaro.] Suprà de eodem. *Agrestis & barbarus.* De puero Thallo. *Barbarum & rusticanum.*

Inceptio patrociniorum capulari seni.] V. Quintilian. 12. 6.

Capulari seni.] Cæcilius. *Edentule, & capularis senex.* Plautus in Mil. ——— *Acheruntitus, capularis.*

Ruffinum, impulsorem huius.] Infrà, *Da impulsori tuo* Pag. 76. *Ruffino, legat.* Donat. in Adelph. *In bona re adiutores, in re malâ impulsores dicuntur.* Miles. 10. *Mulier seu naturaliter impudica, seu fato ad extremum flagitium impulsa.* Dispice quàm vbique Author ad amussim loquitur.

Ad nectendas &c. *calumnias*] Suprà, *Omnem calumniæ textum retexo.*

Quod in Villâ, non in oppido, Tabulæ nuptiales sint consignatæ.] Solennis in hac re obiectatio. Seneca Lib. 8. Contr. 6. *Matrimonij celebritatem remoti angulo ruris abscondit.* Miles. 6. Noster. *Impares nuptiæ, & prætereà in fatte, legitimæ non possunt videri.*

Ibi omne virus totis viribus adnixi effudêre.] Ennod. Apolog. *Heic tota ingenij vela suspenditis: heic resupinæ ceruicis, ex secessu pectoris, quidquid habuit flaminis ructus euomuit.* Miserè corruptus locus. ego sic legebam. *Heic tota ingenij vela intenditis: heic resupinâ ceruice ex secessu*

pectoris, quidquid habuit fluminis, ructus euomuit. nec vel ita satisfacio mihi, nec plus operæ tamen restitutioni impendam. non est is Scriptor tanti vt sudorem mereatur.

Totis viribus.] Frequens loquendi modus Apuleio. Milef. 4. *Totis manibus, vel imò factionis suæ cunctis viribus.* 5. *Totis oro viribus vestris Psychen requirite.* 6. *Et totis Numinis sui viribus vltionem flagitat.* 9. *Totis accingitur viribus.*

Grandem dotem mox in principio coniunctionis nostræ.] Cato apud Gellium. 17. 6. *Principio mulier nobis magnam dotem attulit.*

Accusatorem demissum.] Fuluij MS. *submissum.* Scalig. *emissum.* Lipsius *immissum.* & certè *immissum* verius, saltem vero similius putem. Gellius Lib. 4. cap. 18. *Petilius quidam Tribunus Pl. a M. (vt aiunt) Catone, inimico Scipionis, comparatus in eum atque immissus,* &c.

Subornatum.] Glossæ, Ὑπόβλητος μάρτυς, *Subornatus testis.*

Pag 77. *Inuidiam meam.*] lego *mei*: certo, & perpetuo Græcismo Apuleiano.

Longè à vero aberrasse.] Minuc. Octau. *Longè de viciniâ veritatis erratis.*

Vti adhuc feceritis.] Suprà monuimus legend. *fecistis.*

Ipsum fontem &c. *mendacij huiusce.*] Idem Minuc. *Aggrediar fontem ipsum erroris & prauitatis.*

Non tamen libenter in ipso ætatis suæ flore tamdiù vidua.] Nec mirum, cum vel intra luctus anniculum tot ad secundas nuptias transirent, imò *tepido mariti busto*, vt apud Lucanum *Cornelia. Vna de multis face nuptiali Digna*; --- Liuia Ruffina nempe, de quâ egregiam memoriam vide in Inscriptionum Corpore. 305. 5.

Cum Sicinnio Claro.] A manu (vt notat Brantius) Glossatoris.

Nuptias vanis frustrationibus eludit.] Non enim *Tabulæ* nuptias consummabant. Iuuenalis,

Si tibi legitimis pactam iunctamque Tabellis
Non es amaturus, ducendi nulla videtur
Caussa. ——

Fabius Lib. 5. cap. XI. *Nil proderit signasse Tabulas, si mentem matrimonii non fuisse constabit. V. l. 31. D. de Donation.* Nonnihil rem illustrat hoc Adriani rescriptum. Λεγούσης τινὸς γυναικὸς τὴν ἐπίδοσιν τοῦ ἰδίου υἱοῦ ἀφῃρῆσθαι ὑπό τινος, αὐτόν τε υἱὸν ἴδιον εἶναι, καὶ περὶ αὐτὴν αἰτεῖν τὴν ἐπίδοσιν, ἠρνήσατο ἄλλος. ἀπεκρίθη γυνὴ Ῥωμαϊκὴν αὐτὴν γεγονέναι, καὶ δέλτοις μὲν γεγράφθαι, γάμους δὲ μὴ γεγονέναι; μὴ δυνηθέντος οὖν αὐτὸν ἀποδεῖξαι υἱὸν ἴδιον εἶναι περὶ οὗ ἐταράττετο, ὁπότε μὴ εἴη σὸς υἱός, τὴν ἐπίδοσιν ἀπόδος.

Vanis frustrationibus.] Ita legendum sanè, non *variis*, vt nonnullis placet. Attius Alcmæna.

Tanta vt frustrando vanans, lactans protrahat.

Sine fabulâ.] Senec. L. 9. Contr. 6. *Duxi vxorem nullis inquinatam fabulis.* Idem L. 2. Contr. 15. *Aduersus omnes illecebras atque omnia delinimenta muliebris ingenij est veluti solum firmamentum, in nullam incidisse fabulam.* Miles. 5. irata Venus Cupidini. *Nec enim vos vtique domus mea famosa fabula latuerit.* Et 6. *Quotidianis fabulis ob adulteria & corruptelas infamatum.* Pag. 78.

Assuetudine.] Casaubonus. *A solitudine* vel *Desuetudine.* Placet Fuluiani Codicis Lectio, *Absuetudine.*

Vitiatis intimis vteri, doloribus obortis.] Plautus Stich.
Vteri dolores oboriuntur mihi.

Turpilius. *Disperij misera, vterum cruciatur mihi.*

Doloribus obortis.] Florid. 3. *Acerbus dolor intestinorum coortus.*

Medici cum obstetricibus.] Tertullianus de carne Christi cap. 20. *Respondeant obstetrices, medici & physici.* rectè vterque *Medicis obstetrices* iunxit, nam & harum nonnullæ partes in Medicina. l. 1. §. 2. *De extraord. cognit.* & l. 1. *De inspic. ventr.* Pollux è Platone Lib. 4. cap. vlt. Διδόασι φαρμάκια αἱ μαῖαι ταῖς δυστοκούσαις. hinc insignitæ etiam nomine *Medicarum.* Gloss. Isidori *Maia, medica, obstetrix.*

Anianus ad Paul. Recept. sentent. L. v. *Quoties de mulieris pragnatione dubitatur, quinque Obstetrices, id est Medicæ, ventrem iubentur inspicere.* Imò Medicis non minoris æstimatas, solidis sexaginta nempe, patet ex l. 3. Cod. *Commun. de Legat. & fideicom.* adeò minùs probabilis videtur Scipionis sententia, quæ quas Plato *περὶ γάμων γυναῖκας*, & *γυναῖκας τῶν γάμων ἐπιμελουμένας*, longè honestiore loco quàm *Obstetrices* statuit.

Qui tum adultus Romæ agebat.] Vt etiam vitricus eius adhuc iuuenis. Florid. 3. *Ab ineunte æuo bonis artes sedulò colui, eamque existimationem morum ac studiorum, cùm in Prouinciâ nostrâ, tum etiam Romæ penes amicos tuos quæsisse me, tute ipse locupletissimus testis es.* Qui forensibus incumbebant studijs, eò ex Prouincijs commeabant. Constantius vit. S. Germani, *Vt in eum perfectio literarum plena conflueret, post auditoria Gallicana, intra vrbem Romam iuris scientiam plenitudini perfectionis adiecit.* Rutilius Numatian. Itiner. Lib. 1.

Facundus iuuenis Gallorum nuper ab aruis
Missus, Romani discere iura fori.

Suâ sibi voce, suisque verbis sese reuincat.] Infrà. *Quin tu meismet factis, non alienis verbis reuincis?* Iterùm. *Nescisti te tuomet testimonio conuictum iri. Iisdem verbis & sententijs quas quis profert, vincire: & quasi elatum Goliam suo gladio iugulare*, vocat Eucherius ad Regum L. 1. cap. 18. Sidonius. *Vernaculis implicaturis in retia sua implagari.* Lib. 9. Ep. 9.

Pag. 79. *Quid palluisti? nam erubescere tu quidem non potes.*] Iuuenalis.

Sanguinis in facie non hæret gutta, morantur
Pauci ridiculum effugientem ex vrbe pudorem.

est tamen vbi & ruborem reperias in *ἀναισχυντίᾳ*. Seneca Epist. xi. *Quidam nunquam magis quam quum erubuerint timendi sunt quasi omnem verecundiam effuderint.* Plinius de

Panegyr. Domitiano. *Fœmineus pallor in corpore, in ore impudentia multo rubore suffusa.* (vbi frustrà corrigit vir doctus, *nullo*

rubore. De eodem Tacitus. *Sanus ille vultus & rubor, quo se contra pudorem muniebat.*

Quantumque minor.] Legerim. *Quantoque m.*

Falsâ spe inductus.] Terent. Andr.

Nisi me lactasses, & falsâ spe produceres.

Causas consilij sui plenè adlegauit.] Florid. 3. *Prius volo causam vobis adlegare.*

Cum despectu salutis suæ.] Suprà, *Cum despectu & dispendio bonæ valetudinis.* Pag. 80.

Supremo iudicio.] Infrà. *Quod vtinam supremum eius iudicium non impedisses.* Ammian. Marcell. L. 28. *Supremis iudiciis ordinatis.* l. 5. D. Quemadmodum test. aper. *Suprema hominum iudicia.* *Suprema arbitria vocat* Sextus Rufus. V. Brisson. ad l. 17. de V. S.

Qualis vidua eis fuerit, talem nuptam futuram.] Miles. x. *Talem parentem præbuit, qualem exhibuerat & vxorem.*

Quod quidem illa vt faceret.] *Iudicium* nempe, siue *electionem*, de quâ suprà proximè. monui ne remotior Syntaxis faceret locum de hiatu suspectum.

Spes in facultatibus matris sita erant.] Genus loquendi tractum à Salustio. Catil. *Mihi spes omnes in memet sitæ sunt.* Ibid. *Spes atque opes ciuitatis in illo sitæ.* Alibi, *Spes omnis in fugâ sita erat.*

Auus modicum reliquerat.] Potest hæc lectio ferri, nempe vt fortunatum aui mediocritatem opponat nurus opulentiæ. Legebam nihilominùs *modum*: agri vel fundi nimirùm. Plaut. Aulul.

Agri reliquit ei non magnum modum.

Horatius. ——— *Modus agri non ita magnus.*

Cicero pro Flacco. *Voluistis magnum agri modum censeri.* Gellium corrigend. putem. Lib. 7. cap. 3. *De numero pecoris, & de Domino agri præfinito.* leg. *de modo agri p.* Idem Lib. 20. cap. 1. *Quid salubrius visum est rogatione illâ Stolonis de iugerum numero præfinito?*

Mulier HS. quadragies possidebat.] Seneca de Catone. *Possidebat ipse quadragies sestertium.* De vit. beata cap. 21.

Pag. 81. *Timorem mussitabat.*] Sic 3. Miles, *Demussare contumeliam.* quod nonâ vocat *iniuriam deuorare*: & ibid. *Tacitos secum mugitus iterare.* Claudian. 1. in Ruffin.

——— Tacitique sepultos
Suspirant gemitus, indignarique verentur.

Glossæ Vindoc. MS. *Mussitat, præ timore murmurat.* Grammatici vett. *Mussare, est occultè & pressâ voce loqui quod celatum velis.*

Inter precationem Matris, & metum filij.] Rectius edit. Gentilis *procationem.* ni forsan totum κείμενον irreptitium putes.

Procationem.] Gloss. Puteani MS. *Procare, poscere.* V. Nonnium in *Procacitas.* Glossæ Isidor. *Prociuimus, probauimus.* legit doctiss. castigator *prouocauimus*, non videtur aduertisse discrimen inter *procire* & *procitare.* *Procire* est *procare.* legend. itaque *procauimus.* apud Festum Liuius Andronicus.

Matrem procitum plurimi venerunt.

Procitare est *prouocare, prolicere.* V. Festum eund. aut legendum itaque (quod ego malim) *Prociuimus, procauimus.* aut certè *Procitauimus, prouocauimus.* nam *Prociuimus, prouocauimus*, vt is legit, non potest ferri.

Ego aduenio pergens Alexandriam.] Author sine dubio scripsit, *Oeam aduenio p. A.*

Hyems anni erat.] Sueton. Iulio. *Neque loco, neque tempore æquo, sed hyeme anni.* Noster Hermagoræ 1. apud Priscianum. *Aspera hyems erat, omnia ningue canebant.*

Ex fatigatione itineris aduectus.] Pontanus in Analectis legit *abuectus*, quia deflexerat nempe ab itinere suo, pergens Alexandriam. Ego VVowerij coniecturam

Epist. 123. *affectus* probo. Seneca & Sidonius *Itinere confectus.* Gloss.

L 4. Ep. 6. Καταπεπονημένος, *Defatigatus, defectus.* firmant sequentia etiam, *a. d. decumbo.*

Aliquammultis diebus.] Florid. 3. *Post aliquammultos dies.* Miles 9. *Post multum equidem temporis*, fors. *Post aliquammultum e. t.*

Arto

Arto contubernio.] Ibid. *Contubernalis artissimi.* Decimâ. *Artissimo contubernali.*

Domus fortunam.] Liuius 36. *Etiam fortunam domus horrebant.*

Inuersis verbis.] Lucretius Lib. 5.

Inuersis quæ sub verbis latitantia cernis.

Gellius *Inuolucra sensuum* vocat, & *Verborum volumina.* L. 3. cap. 15
Phædrus *Verbosas strophas.* Plautus Cistellar. *Orationem intortam.* Gloss. Συνεστραμμένη ὁμιλία, *tortiloquium.*

Conuersum ab re vxoria.] Terent. Andr. *Abhorrentem ab re vxoriâ.* Libanius Sophist: Ἐχθρῶς ἔχοντα πρὸς τὸν γάμον.

Conuersum.] Elmenhorst. cum aliis Casaubonum secutis, *auersum* legunt, ego nil muto. Glossæ Bourdelotij MS. *Auersa, conuersa.*

Orat saltem paulisper manerem &c. *hyemem alteram* &c. *opperiendam.*] Similis & argumenti & artificij ea apud Poëtam præcipuum.

Indulge hospitio, caussasque innecte morandi, Æn. 4
Dum pelago desæuit hyems, & aquosus Orion,
Quassatæque rates, & non tractabile cælum,

Verba Annæ sunt ad Didonem Æneam aduenam depereuntem,

Propter Syrtis æstus.] Rectè, nam qui ex Libya terrestri itinere Ægyptum contendebant, omninò necesse habebant hanc Syrtin pertransire. Lucian. Διψάδ. Οἱ ἐκ Λιβύης ἀπιόντες εἰς Αἴγυπτον, παρὰ τὴν μεγάλην Σύρτιν ποιοῦνται τὴν πορείαν, οὐ γάρ ἐστιν ἄλλως.

Syrtis æstus.] Horat. *Siue per Syrtes iter æstuosas.*

Vt ad sese in domum matris suæ transferat.] Malè Steuuech. *Vt secum domum* &c. Vtitur etiam suprà eâdem locutionis formâ. *Mulierem liberam perductam ad me domum dixistis.* Probus in Timol. *Neque domum ad se filium admisit.* Plaut. Mercat.

Trahere, exhaurire me quod quirem ab se domo.

Et in Milite. ——— *Inspectauisti meum apud me hospitem.*

Infrà Pudentilla literis ad Pontianum. Σπουδάζων αὐτὸν οἰκεῖον ἡμῖν δι' ἐμοῦ ποιῆσαι. adeò exactè Apuleius noster præ quàm vulgus litteratorum putat.

Adnixus impenso studio.] Suprà, *Totis viribus adnixi.* Gloss. *Adnixus*, Ἐπερειfeatured... Ἐπερεισάμενος, προσεδρεύσας.

Pag. 82. *Prospectu maris, qui mihi gratissimus est.*] Menander,

Ὡς ἡδὺ τὴν θάλατταν ἄποθεν γῆς ὁρᾶν!

V. quæ de ἀπόψει Salmas. ad Spartian.

Ex ea frusturum.] *Ex domo* Pudentillæ nempe: quod adeò leuiculum minimè aduertendum duxissem, absque ineptiâ non neminis ex Interpretibus, obtrudentis *ex eo*: h. e. (si Dijs placet) *exinde*, *ex eo tempore.*

Interibi.] ἐν τούτῳ: Gentilis nullibi quàm heic legisse meminit. vtitur tamen Plautus bis minimùm, etiam Cato apud Gellium. Falsus est & de vocis compositione idem Scipio, terminatio enim localis non est, merus ἀρχαϊσμὸς est. sic apud Plaut. *postibi*, h. e, *posteà.*

Asin. Capt. L. 3. c. 7.

Differo aliquid postulantibus amicis publicè.] Suprà. *Abhinc triennium est quùm primis diebus quibus Oeam veneram, publicè differens* &c. *Postulantibus amicis* quod ait, habet id coloris speciem. Voluit (puto) excusatum se quòd Philosophus differere sustinuit. Florid. 4. *Tanta multitudo ad audiendum confluxistis, vt potius gratulari Carthagini debeam quòd tam multos eruditionis amicos habeat, quàm excusare quòd Philosophus non recusauerim differtare.* hoc scilicet Sophistarum erat; qui non (vt Philosophi) μαθεῖν, sed ἐπιδείξειν spectabant. Glossæ Σοφιστής, *assertor*, *sophista.* ego legendum puto, *Differtor.*

Ingenti celebritate Basilicam complentes.] Paulinus Epist. 33. *Tantis influere penitùs agminibus in amplissimam gloriosi Petri Basilicam.* Sidonius Lib. 5. Epist. 17. *Populus ingens sexu ex vtroque, quem capacissima Basilica non caperet, quamlibet cincta diffusis crypto-porticibus.*

Qui locus auditorij erat. Hæc à quibusdam vett. abesse aiunt. equidem in cusis ferè omnibus inuenio, itaque retinenda censeo. olere glossam procliue est dicere, at

fors Author ad diſcrimen poſuit, differebant enim in Theatro etiam. V. proximè citata.

Congruentiſſima voce &c. *acclamant.*] Miles. 3. *Cuncti conſona voce flagitant.* Virgil. Æn. xi.

——— *Vnoque omnes eadem ore fremebant.*

Conuaſare acclamationes vocat Sidonius L. I. Epiſt. 9. Caſſiodor. I. 13. *Dicere vno ſono.* Plato de *Leg.* I. Μιᾷ φωνῇ, καὶ ἐξ ἑνὸς στόματος συμφωνεῖν. Lucianus Zeux. Ἓν, καὶ τὸ αὐτὸ σημαίνεσθαι. Dio in Pertinace. Εὐρύθμως ἐκβοᾶν. At næ ego ineptus qui vel pauxilla hæc in eo Argumento, quod Libris ſeptem *de Veterum acclamationibus* inſcriptis, adeò accuratè perſequutus eſt, doctiſſimus idemque amiciſſimus Bernardinus Ferrarius, cuius inſtructiſſimam *Dactyliothecam* etiam expectamus iam quotidiè, nec non alia cùm ab eruditione elegantia, tum ab Argumentis.

Eo principio.] h. e. *publica illa acclamatione*: ne longius hoc principium petas.

Conſenſum publicæ vocis pro diuino auſpicio.] Herric. Altiſiodor. de vit. S. Germ. Lib. 2.

———*Populos in conſona vota ruentes*
Adſpiceres, ſpirante Deo, ———

Nazarius Panægyr. *Sed negliguntur præconia hominum vbi quæruntur iudicia diuina.* quot verba, tot menda. lege, & interpunge. *Si n. p. h. u. quærentur indicia diuina?* Apud Symmach. Presbyteri ad Imperr. Honor. & Theodoſ. *Venerabilem virum Bonifacium acclamatione totius populi, ac conſenſu meliorum ciuitatis aſſeruimus*: &c. quam *electionem* ſtatim *diuinam ſententiam* vocat: & continenter, *Diuinum eſt quidquid tantorum firmat electio.* Iterùm interuallo minimo. *Presbyteri omnes aderunt, qui voluntatem ſuam hic, Dei iudicium proloquantur.* Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Valentini. *Collectis in vnum venerabilibus Epiſcopis, & glorioſis Romanorum proceribus, omnique amplo* (malim *ample*) *Vrbis populo in Palatio Lateranenſi, vt quod iam cordi cælitus reuelatum æquiter omnes tenebant, in vno multorum ſonitu reſonaret,* &c. Latro in Catilin. *Is rumor ſparſus eſt de mori-*

bus Catilinæ, eaque vbique opinio peruagata, quatenus existimem voces istas publicas non hominum esse sed Oraculi potiùs nuncupandas.

Aperitque consilium sibi esse, si ego non nolim, matrem suam cui plurimi inhient, mecum coniungere: quoniam mihi soli ait rerum omnium, confidere sese & credere vt id onus recipiam, quoniam non formosa pupilla &c.] Exhibuimus mutilatissimi huius loci eam lectionem quam in omnibus ferè cusis deprehendimus, vt nostræ cum aliorum coniecturis factâ collatione, faciliùs dispici possit quis meliùs diuinauerit. Casaubonus, *Quoniam mihi soli ait rerum omnium curā crederet, cōfidere sese fore vt id onus recipiam.* &c. Scipio, *Quoniam mihi soli rerum omnium accrederet, confidere sese ait vt id onus recipiam* &c. Nos ad hanc faciem, *Aperitque consilium sibi esse (quoniam mihi soli rerum omnium accrediderat) matrem suam cui plurimi inhient, mecum coniungere: confidere sese fore vt id onus recipiam, quoniam non formosa pupilla* &c. Ratio Parentheseos petenda paullò altiùs. Dixerat suprà, *Hæc omnia adnixus impenso studio persuadet, & matrem suam, suumque fratrem puerum istum mihi commendat.* quæ ita hoc loco expressit, *Mihi soli rerum omnium accrediderat.* *Rerum credere & accredere* ἀρχαϊκῶς dici notarunt alij, quod tamen si non arrideat, scribe, *rerum omnium curam crediderat*, vel *r. o. summam, c.*

Si ego non nolim.] Cicero ad Attic. L. 13. *Proximis tuis literis te id non nolle agnoui.* Vlpianus L. 1. § 1. & 2. *de Tribut. act.* *Non enim velle debet Dominus sed non nolle.* Catullus. *Quæ tu volebas, nec puella nolebat.* *Non nolle* valet *pati*, *non contradicere*; atque inter *velle* & *nolle* quiddam medium est. Quidam *non velle* putarunt medium, perperam: nam inter affirmatiuum & negatiuum qui constituere medium volet, oportet ex negatiuo sumat, neutiquam ex affirmatiuo.

Mediocri facie.] *Speciem temperatam* vocat Fulgent. 3. Mythol. Miles. 4. Noster, *Temperatam formositatem.* Euripides Μετρίαν χρόαν. Ennius *formam statam.* Phauorinus

apud Gellium. 5. 11. *vxoriam.*

Ad aliam conditionem.] Infrà *Longâ dote, & molli conditione.* propria connubiis vox. V. Coluij Not.

Sin hæc reputans.] Bonæ nil frugis elicere ex hac voce queo. an legend. *refutans?* Gloss. *Refutant*, ἀποτρέπονται.

Neque pro amico, neque pro Philosopho facturum.] Salust. Iugurth. *Neque pro recto, neque pro bono facturum.* Cæsar. Bell. Gall 5. *Nihil hunc se se absente pro sano facturum.*

Verbigeratum.] Onomast. vet. *Verbigero*, λογοποιῶ. Glossæ MS. Cl. Bourdelotij *Altercatur, ligat, verbosatur.* leg. *A, litigat, verbigeratur.* Pag. 83.

Persuaserat idem Pontianus matri suæ vt me omnibus aliis mallet.] Infrà ex literis ipsis Pudentillæ. Βουλομένην γάρ με δι' ἃς εἶπον αἰτίας γαμηθῆναι, αὐτὸς τοῦτον ἔπεισας ἀντὶ πάντων αἱρεῖσθαι. &c.

A conspectâ fide.] Libri nonnulli, *A concepta fide.* Coluius tentabat, *A compecta fide*: at ea lectio quam posuimus vera est. *Fides conspecta* est *comperta, explorata.* Scriptores voce solenniore *spectatam* vocant. talis huc vsque fides Pontiani fuerat. contrà apud Gellium *inconspectum* pro *incerto, non probè cognito*, Lib. 17. cap. 21. *Ne in sermonibus fortè inconspectum aliquid* &c. *temerè diceremus.* cusi plerique omnes, *in conspectum*: leui errore sanè at qui induxit nonnullos, quorum nomina in his literis haud incelebria sunt. Si nos obscuri titubamus, dabit veniam Lector, nonnunquam ipsi nobiles vel in scrupillos impingunt.

Quiduis pati, quiduis facere.] Miles. 9. *Quiduis facere, quiduis pati paratus*, & in Phædone apud Priscianum, *Sic agere aut pati.* Horatius

Iubet quiduis & facere & pati.

Pollux Onomast. Lib 6. cap. 32. Οὔτε παθεῖν δέδιεν, οὔτε ποιεῖν ὀκνεῖ. Imp. Manuel Palæolog. 4. Orat. Παθεῖν πᾶν ὁτιοῦν, καὶ πάνθ' ὁμοῦ διαπράξασθαι πρόθυμοι. Iulian. Orat. ad Athen. Ὅ τι ἂν ᾖ τοῖς θεοῖς φίλον, πάσχειν ἢ πράττειν.

Qui neminem vnum in terris viliorem se &c] Senec. Lib. 3.

Contr. 17. *Deduxi ad vos reum, omnium quos terra sustinet, nocentissimum.* Salust. *Iugurtha, homo omnium quos terra sustinet sceleratissimus.* Plaut. Pseud.

Quantum terra tegit hominum periurissime.

Pag. 84. *Calumniæ fornacula.*] Vt apud Ciceron. pro Rosc. *Officina nequitiæ.* Zosimum, Εργαστήρια συκοφαντιῶν, & Boeth. de Consol. *Sceleratorum officinæ.* Sidonius hac facie etiam *calumnium sufflamare.* Lib. 4. Epist. 6.

Flagellum.] Legas concinniùs multò *flabellum.* Cicero pro Flacco. *Cuius linguâ quasi flabello seditionis, illa est concio ventilata.*

Litium depector.] h. e. *redemptor*, siue qui alienas lites pro suis suscepit, pactione dimidiæ aut tertiæ partis, aut de quotâ conuenire potuit. *Litium mercatores* vocat Cicero in Verr. Diuin.

Simulationum architectus.] Idem pro Rosc. Amer. *Omnium Architectum & machinatorem.* pro Cluent. *Sceleris principem ipsum, atque architectum.* Demosth. πρὸς Διόνυσ. Τῷ ἀρχιτέκτονι τῆς ἐπιβουλῆς. Themist. Euphrad. 9. Orat. Τὰ μηχανήματα ὧν αὐτὸς ἦν τέκτων καὶ μηχανορράφος.

Simulationum.] Διαβολῶν, non προσποιήσεων.

Οδυσ. ξ. *Malorum seminarium.*] Sic apud Homer. φυτεύειν κακά. Miles. XI. Noster. *Malorum disseminationes.* vbi pessimè quidam codices, *dissensiones.*

Locus.] Ne sequere viros doctos reponentes *Lucus*, & *Lacus.* apta cum primis vox *Locus*, & quæ summâ iniuriâ exularet. Seneca Lib. 5. Contr. 2. *Meretrix vocata es, in communi loco stetisti.* Ibid. *Deducta es in lupanar, accepisti locum.*

Caluitio deformaretur.] Lactant. de opif. Dei cap. 7. *Quanta in eo deformitas futura esset, ex caluitio apparet.* Sueton. de Domitiano. *Caluitio quoque deformis.*

Ad omnia infanda morigerus.] Donat. ad Terent. *Morem gerere lenonium & meretricium notat.* Afranius,

Ætas, & corpus tenerum, & morigeratio.

Saltandis fabulis exossis & eneruis.] Miles. I. *Exossem*

& eneruem saltationem. Minuc. Octau. *Eneruis histrio.* Gaudent. Brixiens. *Gestus colubrini.* de Lect. Euang. Tract. 2.

In hac etiam atate quâ nunc est.] Iul Firmic. de Sylla. 1. 3. *Senex exoletus, alienâ ætate, flagitia corporis detinebat.* Seneca Epist. 122. *Cum illum contumeliæ sexus eripuisse debuerat, ne ætas quidem eripiet.* Gregor. Nazianz. Orat 40. Αἰσχρὸν μὲν τὴν ἡλικίαν παρακμάζειν, μὴ παρακμάζειν δὲ τὴν ἀσέλγειαν. Saluian. de Gubern. Lib. 7. *Ab vsitatâ impuritate nec miseriarum egestate, nec vitæ extremitate reuocantur.*

Diperduint.] Eorum qui eruditissimam istam Apologiam notis illustrarunt, vix vnum & alterum reperias qui non heic pro modulo suo se exercuerit. Coluius *Depereunt* legit, vti & Brissonius. Casaubonus, *Qui istum diperduint multa sunt.* Schottus, *Qui istum Dij perduint. Multus bonos* &c. Brantius *Depsuerint.* Pontanus, VVowerius, Gentilis, *Perdepsuint.* Singuli quid senserint apposui strictìm, non vt addam quid, aut arguam, sed vt ex hac veluti saturâ lance quisque optet quod ad palatium faciat.

8. *deformul.*

Analect. 3.13.

Vxor lupa.] *Lupa* vt plurimum signat meretricem, at ne cui hac parte imponatur minus cauto, sciat non vbique occurrere eo sensu. Specimen è Prudentio damus (quem eâdem operâ emendatum imus) Loquitur de Priapo priore contra Symmach. Libro.

Scortator nimius, multâque libidine suetus

, Rusticulas vexare lupas ——— Legebat Gasp. Barthius, *Lustricolas*: bonâ coniecturâ quidem, si heic *Lupæ* meretrices essent, at non cæpisse videtur Poëtæ mentem. Prudentius *Lupas* vocat agrestes & montanas puellas, assuetas pecorum pastui, & id genus animalium. Fasti Siculi, seu mauis, Cronicon Alexandrinum. Εἰς ἐκείνην τὴν χώραν (Ἰταλίαν) λυκαίνας καλοῦσιν ἕως ἄρτι τὰς βοσκούσας τὰ πρόβατα, ὡς αἰεὶ τὸν βίον καὶ τὴν διαγωγὴν ἐχούσας μετὰ τῶν ἀλόγων, καὶ τῶν λύκων. Cedrenus. Εἴθισται δὲ τοῖς ἐγχωρίοις λυκαίνας τὰς τοιαύτας καλεῖν γυναῖκας, διὰ τὸ ἐπὶ-

παν ἐν τοῖς ὄρεσι μετὰ λύκων διατρίβειν. Itaque aut mutandum nil, aut legendum *Ruricolas*.

Ludibrio iuuentutis ianua calcibus propulsata, fenestræ canticis circumstrepitæ.] Lucian. Δὶς κατηγ. Καθ' ἑκάστην δὲ τὴν νύκτα ὁ μὲν στενωπὸς ἐνεπίμπλατο μεθυόντων ἐραστῶν, κωμαζόντων ἐπ' αὐτήν, καὶ κοπτόντων τὴν θύραν. ἐνίων δὲ καὶ εἰσβιάζεσθαι σὺν οὐδενὶ κόσμῳ τολμώντων· αὐτὴ δὲ ἐγέλα, καὶ ἥδετο τοῖς δρωμένοις: καὶ τὰ πολλὰ ἢ παρέκυπτεν ἀπὸ τοῦ τέγους ᾀδόντων ἀκούουσα τραχείᾳ τῇ φωνῇ ᾠδάς τινας ἐρωτικὰς, ἢ καὶ παρανοίγουσα τὰς θυρίδας, ἠσέλγαινε, καὶ ἐμοιχεύετο πρὸς αὐτῶν. Claudianus.

In Eutrop. I.

——Dum turba procax, noctisque recedit
Ambitus, & raro pulsatur ianua tactu.

De uxoris noctibus paciscuntur.] Miles. x. *Depacta est noctis vnius concubitum.*

Collusio.] Glossæ. *Conludit*, συνδυάζει. *Collusio & compactum*, συνδυασμός. Nomicum Glossar. Συμπαίγνια, ἀπάτη.

Qui amplam stipem mulieri detulerunt. &c.] Tibullus,

Sed pretium si grande feras, custodia vincta est,
Nec prohibent claues, & canis ipse tacet.

Propert. *Ianitor ad dantes vigilet, si pulsat inanis,*
Surdus in obductam somniet vsque seram.

Suo arbitratu ascendunt.] Scripserim *abscedunt*, vt Roman. aut *discedunt* vt Florent.

Qui inaniores venêre.] *Inanes* sunt ἀνάργυροι, siue (vt Plautus) *manus steriles afferentes*.

Pater eius plurimis Creditoribus defæneratus.] *Defæneratus* (Gentilem audis) est *obligatus pecunijs immani fenore acceptis*. Ego *defæneratis* scribo, h. e. *fænore suo defraudatis*. Suprà proximè, *Ampliusculâ fortunâ deuolutus, quam tamen fraude Patris inopinatò inuenerat.*

Maluit retinere pecuniam quàm pudorem.] Lucius Pomponius.

Ego rumorem parui faciam dum sit rumen quî impleam.

Sophocles. Δοκῶ μὲν οὐδὲν ῥῆμα σὺν κέρδει κακόν.

Iuuenalis.

Iuuenalis. ——— *Quid enim salutis infamia nummis?*

Horatius. ——— *Quidam memoratur Athenis*
Sordidus ac diues, populi contemnere voces
Sic solitus: populus me sibilat, at mihi plaudo
Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arcâ.

Satisburiens. *Polycrat.* 7. 16. *Auaro nihil vile videtur aut sordidum: sibilante populo seipsum consolatur.*

Flagitaretur.] Aptè, nam hoc proprium obæratis. Gellius Lib.17.cap. 6. *Flagitare pecuniam iubebatur.* Plaut. Casin.

Ducite ex animo curam atque æs alienum,
Nec quis formidet flagitatorem suum.

Idem Pseud.

——— ——— *Si non dabis*
Clamore magno, & multùm flagitabere.

rectè *clamore.* Lactant. de opif. D.cap.3. *Magnisque clamoribus conditionem pristinam flagitant.* Glossæ *Flagitauerit*, μετὰ βοῆς ἀπαιτήσῃ. Gloss. Vindoc. M S. *Flagitat, commouet*, (an *commonet*?) *cum clamore exposcit.*

Et quasi insanus ab omnibus obuijs teneretur.] Achil. Tat. Amor. Lib. 7 Οἱ δὲ φυλάσσοντες ἰδίωτοι, νομίζοντες ἀποδιδράσκειν: καὶ ἐβόων τοῖς ἐντυγχάνουσι λαβέσθαι.

Lex, inquit, negat posse dissoluere.] Variant heic libri: partim *Lex*, alij *Flax* habent: si τὸ *Lex* placuerit, puta σχῆμα quiritantis esse, implorantisque opem *Iuliæ legis*, quæ cedentes bonis liberos permittebat. *Flax* manifestum mendi est. Lipsius *Pax* legebat, de quâ voce Scalig. vide in Lection. Ausonianis,

Annulos aureos, & omnia insignia dignitatis abiicit.] Horat. Lib. 2. Sat. 7.

——— *Proiectis insignibus, annulo equestri,*
Romanoque habitu. ——— Martialis 2. 57.
Oppignerauit ad modò Claudij mensam
Vix octo nummis annulum vnde cœnares.

vltimæ egestatis signum: nam & aliis exuti omnibus, solebant annulos saltem custodire, Iuuenal. Sat. x I.

——— *Post cuncta nouissimus exit*
Annulus. ———

Sueton. Iul. *Affirmauit se ad satisfaciendum omnibus per quos dignitatem suam defensurus esset, annulum quoque æquo animo detracturum sibi.*

Cum creditoribus deperiscitur] Ræuard. ad l. 148. *de diu. reg. Iur.*

Pleraque in uxoris nomen &c.] Etymolog. in Ἐγγύης.

Ighominiâ suâ tectus.] Æschines Scipioni notatus) Ὥστε μηδὲν ἀλλ' ἢ τὰς αἰσχύνας αὐτῷ περιεῖναι. Salust. Catil. *Flagitiis & facinoribus coopertus.* Tacit. Annal. 3. *Probrosus, & infamiâ coopertus.*

Liberum venit.] Estnè quod *laxum* Martiali 3. 22?

Præter quod et uxor sua quotidianis dotibus quæsiuit.] Herodot. 1. de Lydorum filiabus. Πορνεύονται πᾶσαι, συλλέγουσαι σφισὶ φέρνας. Ferè eadem de *Punicis* Valerius 2. 6. de *Phenicibus* D. Augustin. de ciuit. 4. 10. de *Cypriis* Iustinus 18. 5. de *Tuscis* Plautus Cistell. 2. 3.

Quotidianis dotibus.] Vt apud alios *Nuptiæ quotidianæ.* Ibid. Plautus,

——— *Habemus nuptias quotidianas;*
Hæc quidem ecastor viro quotidiè nubit.

Auctor ad Herennium. *Cuius mater quotidianis nuptiis delectatur.* quod expressum ex Demosthenis illis περὶ στεφ. videtur. Ἡ δὲ μήτηρ σου τοῖς μεθημερινοῖς γάμοις χρωμένη.

Degulator.] Gloss. Isid. *Sorbillator, degulator.* Onomast. vet. *Degulo, καταλαιμέω.*

In ventrem condidit.] Iuuenalis Sat. XI.

——— *Ære paterno,*
Ac rebus mersis in ventrem. ———

Omnimodis collurtinationibus dilapidauit.] Mamercus de *Statu animæ.* Lib. 2. cap. 9. *Qui stipem suam variis collurtinationibus dilapidauit.*

Dilapidauit:] Onomast. vet. *Dilapido, διαφορέω.* Firmic. 4. 8. *Patrimonium misèi à lacerationi dilapidat.* D. Paulin.

Incassum reditus dilapidare suos.

extulit meliore ſenſu D. Hieron. *Cenſum omnem* (inquit) *quem habere potuit, dilapidauit & vendidit, & in pecuniam congregatum vſibus pauperum præparauit.* Epiſt. Lib. 3.

*Homo iuſtus & morum * dedit operam.*] Viſitur in Libris fere omnibus Aſteriſcus ille: vtinam abeſſet ſanè, prompta emendatio foret; legerem nempe; non (vt Caſaub.) *Homo iuſtus & verus*, ſed (minore mutatione) *homo iuſtus ex more dedit operam.* Infrà, *Epiſtolas ex more adſeruauit*, Mileſ. 4. *Ex more calida lauacro præparata.* turbat autem lacuna ea, quæ indubiè quid deeſſe arguit, ſupplet hic *morum integer*: ille *morum haud ſpernendus.* Ego eos ſi nil dixiſſent putaſſem ingenioſiores: cui bono commenta talia vbi ſexcenta adferas ex æquo probabilia?

Malè partum.] Fors quod in Mileſiis vocat. *Æs de malo habitum.* Lib. 9.

Nec quidquam ei relictum eſt ex largiore fortunâ præter ambitionem miſeram, & profundam gulam.] Suprà de Craſſo. *Nec quidquam ei de bonis paternis ſupereſt, niſi vna domus ad calumniam venditandam.*

Profundam gulam.] Vulgus hodiernum Venetum, *Gola sfondradona.* Mileſ. 4. *Ventri profundo ſeruiens.* 8. *Inſatiabilem, profundumque ventrem.* Pluſcula ad hunc locum notaueram quæ miſſa facio, video enim à Caſaub. congeſta ad Sueton. Vitell. Pag. 86.

Vxor propemodùm vetula & effeta, totam domum contumeliis abnuit; filia autem per adoleſcentulos ditiores innitamento Matris ſuæ nequicquàm circumlata &c.] Syneſius Epiſt. 3. Καὶ αὐτὴ πάλαι μὲν ἐπαλλακεύετο ναυκλήρῳ δεσπότῃ: ἔπειτα μὲν τῷ Ρήτορι, καὶ τούτῳ δεσπότῃ: τρίτῳ μετ' ἐκείνους ὁμοδούλῳ, καὶ λάθρᾳ τῇ πόλει, καὶ προούσῃ τῆς τέχνης, ἧς ἐπειδὴ τὴν ἐργασίαν ὑπὸ χαλαρᾷ ῥυτίδι κατέλυσε, τὰς ἐν ἡλικίᾳ παιδοτριβεῖ, καὶ τοῖς ξένοις ἀντικαθίστησιν. Similem diſciplinam Petronius in Philumene expreſſit. *Multas hæreditates officio ætatis extorſeras; tum anus & floris extincti, filium filiamque ingerebat orbis ſenibus, & per hanc ſucceſſionem artem ſuam perſeuerabat extendere.*

Totam domum contumeliis abnuit.] Colvius *Obuoluit*, Brantius *absoluit*. Casaubonus. *Nunc demum contumeliis abnuit.*

Circumlata.] *Circumferri* eodem venditandi sensu apud De benef. 1. 9. Senecam habes, Libro *de remed. fortuitorum*. alibi *in sella prostare* vocat : *admissis inspectoribus vndique perspicuam vehi.*

Facilitatem Pontiani.] Infrà. *Quò faciliùs Pontiani facilitatem* &c. *circumueniret.*

Ἀπ' Arist. de Animal. 5. 6. *Vidua antequam nupta, domi sedisset.*] Scaliger ineptè dici ait. *Virginem marito viduam.* Vidua enim (inquit) est quæ separata est à marito quîcum iuncta erat. Imo *vidua* est, etiam *quæ necdùm nupsit*, ἡ μήπω γεγαμημένη. mitto qui præ manibus est Authoris locum, cape alium 4. Milesia. *Psyche virgo vidua domi residens* : aut si Noster nouator nimis, audi Senecam in Agamemnone:

Ante te morantur Virgines viduæ domi.

Ibid. *Vidua ante thalamos.* D. Hieronym. ad Eustoch. *Videas plerasque viduas antequàm nuptas.* Cyprian. *Furtiuo dedecore corrupta, viduæ antequam nuptæ.* Sic apud Græcos Χήρεια & *viduitatem* & *cælibatum* notat. Constant. Harmenop. L. 6. Tit. De V. S. Χήρα ἐστὶν οὐ μόνον ἡ διαζευχθεῖσα, ἀλλὰ καὶ ἡ μὴ οὕτως ἄνδρα ἐσχηκυῖα. Glossæ. Χήρευσις, *Viduitas, cælibatus.* Χήρεια ἀνδρὸς, *cælibatus.*

Domi sedisset.] Idque cum dedecore. Phalaris Epist. 14. Ἡ μὲν ἐπ' ἀνδρὶ χήρεια χρόνους περιλαμβάνουσα πλείω ἀρετὴν, ἡ δὲ ἐπὶ παιδὶ παρ' ὥραν μηκυνομένη παρθενία διαβολὴν κτᾶται : πᾶσι γὰρ ἀνθρώποις αἴσχιστον δέδοκται, καὶ νὴ Δία ἐστὶ, παρὰ τοὺς τῆς φύσεως χρόνους θυγάτηρ οἰκουροῦσα.

Nuptiarum titulum.] *Nuptiarum nomen* Petronius, vbi Bourdelotium Vide.

A quodam &c. *cui prius pacta fuerat, post satietatem derelictam.*] Plutarch. Ερωτικ. Διὰ τάχους οἷς ἔτυχε σώμασιν ἐναπογεννήσαντες, καὶ καρπὸν ἀράμενοι, χαίρειν ἐῶσιν ἤδη τὸν γάμον. Hinc illud proco puellæ apud Theocrit.

Εἰδυλλ. κζ. Ὄμνυε μὴ μετὰ λέκτρα λιπὼν ἀέκουσαν ἀπέλθῃς.

Honestissimo.] Ditissimo, vt l. 52. §. 15. D. *de furt.* & apud Ascon. ni fallor, in Verrinas.

Secura & intrepida] Haud infidum præflorationis signum, cum sit virginum trepidare. D. Ambros. in Euang. Luc. cap. 2. Miles. 5. Noster. *Virginitati sua metuens, pauet & horrescit.* Theocrit. vbi suprà.

Θάρσει κώρα φίλα, τί μοι ἔτρεμες; ὡς μάλα δειλά!

Claudian. *Iam nuptæ trepidat sollicitus pudor.*

Lucan. *Non timidum nuptæ leuiter tectura pudorem.*

Titinnius apud Festum,

Accede ad sponsum audaciter, virgo nulla es.

Flore exoleto.] Heliodor. Lib. 3. Τὴν παρθενίαν ἤδη καὶ ἄνθος ἔφευγε. Philo Iudæus, Ἀπομαρανθείσης ὥσπερ τινὸς ἄνθους τῆς ἀκμῆς.

Flammeo obsoleto.] Iuuenalis.

Permutatque domos, & flammea conterit. ———

Vectabatur.] More νεονυμφῶν, & (vt videtur) peculiari Prouinciæ Africanæ, illius enim potissimùm apud Scriptores memoratum reperio. Optat. Mileuit. Lib. 6. *Hoc nec mulieres patiuntur quæ carnaliter nubunt, ex quibus si alicui mutare maritum contigerit, non repetitur illa temporalis festiuitas, non in altum tollitur* &c. Marcian. Capella *de Nupt.* Lib. 2. *Cum sonitu introfertur lectica interstincta sideribus, cui ritu mystico crepitus precinebant, quâ mos fuerat nubentes Deas in cælestis thalami peruenire consortia.* Tertullian. *ad Vxor.* cap. 4. *Non monilium pondera, non vestium tædia, non Gallicos vultus, nec Germanicos baiulos, quæ nuptiarum gloriam accendunt.* Porrò hodiéque in Africa viget mos iste, deferturque ante nouam nuptam sanguinolentum indusium, vtpote interfectæ signum virginitatis. monuit me ex Leone & aliis Cl. Bourdelotius.

Octophoro.] Epigramma ex MSS. ejusdem Bourdelotij.

Porcius octophoro fertur resupinus ad ædem
Iunonis Triuiæ, priscaque templa Deæ.
Et circum Phœbi: meritò stupet inscia turba,
Atque ait, an horum victima Porcus erit?

plura de *Octophoro* Pythæus Aduerſ. Subſic. Corraſ. Miſcell. Iur. Lib. 3. cap. 20. Lipſ. Elect. Lib. 1. cap. 19. Nugatur autem ſuauiter compilator Iuris Lexici *Octophorum* pro *vehiculo* capiens *octo rotas habente.*

Improba iuuenum circumſpectatrix. Lucian. Ἐπιβάλλειν τοῖς νέοις τοὺς ὀφθαλμούς. Senec. Declam. 6. *Puellari lenocinio oculos circundare.* D. Hieron. *Vultus meretricis circumferre.* D. Ambros. *de Virg.* Lib. 3. *Ludere oculis, rotare ceruicem.* Prudent. *Vagari oculis.* Phædr. *Oculis venaturam facere.*

Quis non diſciplinam matris agnouit? &c.] Iuuenalis Sat. 14.

—— Expectas vt non ſit adultera Larga
Filia? —— Idem 6.
Scilicet expectas vt tradat mater honeſtos,
Aut alios mores quàm quos habet? ——

Ambros. vbi ſuprà de Herodiade. *Quid potuit filia de adulterâ matre diſcere niſi damnum pudoris?*

Diſciplinam.] Cicero Verr. 5. *Meretriciam diſciplinam.* Catullus.

Vno in lectulo erudituli ambo.

Immedicatum os.] Tacit. de Tiberio. *Vlceroſa facies, & plerumque medicaminibus interſtincta.* Petron. *Facies medicamine attrita.* Commodianus.

—— Inducis malis medicamina ficta.

Purpuriſſatas.] Plaut. Trucul.

—— Buccas tàm bellè purpuriſſatas habes.

Illices oculos.] Gellius Lib. 3. cap. 5. *Oculos ludibundos, & illecebræ plenos.* lego in Noſtro autem *illitos.* h.e. *vnctos,* ὑπογραφομένους. Miles. 8. *Prodeunt oculis graphicè obunctis.* Arnob. *Oculos fuligine inumbrare* vocat. Hieronym. *Orbes ſtibio fuliginare.* Ouid. *Tenui ſignare fauilla.* opponit
Papia. Varro *palpebras calliblepharo naturali tinctas.* Fauet le-
Pap. ctioni noſtræ quod præceſſit, *genas purpuriſſatas.* paſſim enim coniuncta videas hæc formæ adulteria. Tertullian. de *hab. mulieb.* *Medicamenta ex fuco quibus malæ coloran-*

tur, & ipsum nigrum pulverem quo oculorum exordia producuntur. Idem in de cult. fœmin. *Genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt.* D. Cyprian. *de discipl. virg. Oculos circumducto nigrore fucare: genas mendacio ruboris inficere.* Paulinus Carm. 14.

Non fucus malè ficta cutem, neque lumina nigro
Puluere. ——

Lucian. Δὶς κατηγορ. φυκίον ἐντετριμμένην, καὶ τὼ ὀφθαλμὼ ὑπογεγραμμένην, Inuentores lenocinij huiusce è Xenophonte Medos colligo. obtinet etiamnunc apud mulieres Turcicas, Græcasque. Παιδ. α.

Domus exhausta.] Cicero *de Legg. 2. Exhaurit domos.* Plaut. Mercat.

Trahere, exhaurire me quod quirem ab se domo.

Rei modicus, spei immodicus.] Florid. 1. *Spei rudimentum, rei experimentum.* Salust. *Neque res, neque spes bona ulla.* Idem. *Mala res, spes multò deterior.*

Pari auaritiâ & egestate.] Horat. Epist. L. 1.

Quem tenet argenti sitis importuna famesque,
Quem paupertatis pudor, & fuga. ——

Præsumptione cassa deuorârat.] Cicero Verr. 3. *Spe atque opinione prædam illam deuorasset.* Saluian. 4. *de Gubern. Prædam spe atque cupiditate deuorauerat.* Boëth. 1. *de consol. Cuius opes Palatini canes iam spe atque opinione deuorassent.* Prudent. περὶ στεφ.

—— *Spe deuorat aurum.*

Inijcit scrupulum.] Miles. 1. *Mihi non paruam incussisti sollicitudinem* &c. *iniectio non scrupuli, sed lanceâ.* Nil moueo, moneo tantùm posse *spiculo* legi. *stragulam inijcere* certè passim apud Plautum legas: fulcrum validius autē ab hoc loco Tertulliani accedit. *Non lucernæ spiculo lumine, sed totius Solis lanceæ.* Extat in Libro eius *de Pudicitia.*

Inijcit scrupulum amanti adolescentulo veterator.] Non absimiliter Cannius apud Festum.

Mulieri non astutæ facilè veterator persuasit.

Minatur se filium abducturum.] Iure paterno nempe,

cuius ſpecimen hoc ex Ennio cape,

Iniuriâ abs te afficior indigna Pater,
Nam ſi improbum Creſphontem exiſtimaueras,
Cur me huic locabas nuptus? ſin eſt probus
Cur talem inuitum inuitam cogis linquere?

Iunge Afranium,

Indignum facinus, adoleſcentes optumos,
Benè conuenientes, concordes cum viro,
Repentè viduas facit ſpurcities Patris.

Illecebris offrenatum.] Miles 6. *Vnius offulæ predâ offrenatum.* Plautus Capteu.

Vſque offrenatum ſuis me ductarent dolis.

De viâ deflectit.] Gloſſ. M S. Cl. Puteani. *Deflectit, deuiat.* heiç autem *deflectere*, eſt *ſeducere*, εἰς τὸ κατ' ἰδίαν ἀποσπᾷν, ἢ ἐξάγω: vt in Philox. Gloſſ.

Vltrò. lege *vltrà.* h. e. *ampliùs.* V. Liuineij Not. ad vett. Panegyricos.

Reportat. &c. *haud mollia.*] Virgil. XI.

——— Haud mollia fatu.

Tacit. Hiſtor. 4. *Molliora referre iuſſum.* & Annal. 12. *Molliora reſpondens.*

Iram quoque acceſſiſſe, non mediocre pertinaciæ adiumentum.] Cicero ad Attic. Lib. 1. Epiſt. 9. *Incredibile eſt quantò mihi videatur illius voluntas obſtinatior, & in hac iracundiâ obfirmatior.*

Exacerbatus.] Gloſſ. Ἐκχεχόλωμαι. *Exacernatus ſum.* Ἐκχολοῦμαι. *Exacernor.* Eædem, Παραπικραίνω. *Exacerbo, ad iram prouoco.* Gloſſ. Vindocin. M. S. *Exaſperare, exacerbare.*

Rufini ex oratione.] Manu deſcripti quidam. *R. exhortatione.*

Aquariolus.] Gloſſ. M S. Ioan. Bourdelotij, *Ouariolus,* (leg. *aquariolus*): *puer lenonis.* Gloſſ. Philox. *Bacario,* πορνοδιάκονος. Lamprid. Commodo. *Geſſit aquam vt lenonum miniſter.* Vbi V. Caſaub. & Salmaſ. ad Vopiſc.

Digna cubiculo ſuo diceret.] Vitiata deliteſcit hæc loquendi

quendi forma Libro de Philosophia: *Dum vitam colit, digna Dijs discere.* scribe *dicere.* quòd indubiè verum esse, patet ex discrimine τοῦ *agere* quod sequitur statim, tum quod *dicta* hæc *Dijs digna* non alia videntur quàm καλοὶ λόγοι, de quibus suprà heic Plato è Zamolxi.

Se mihi suâ manu mortem illaturum.] Liuius Andron. apud Macrob. Sat.6.

Nunquam hodiè effugies quin meâ manu
Moriare ——— —— Cicero Catil.1. *Q. Seruilius Hala Spur. Melium nouis rebus studentem, suâ manu occidit.* Idem pro Cælio. *Qui Consulem incipientem furere atque conantem, suâ se manu interfecturum* &c. *dixerit.* Miles. x. *Mortem mihi meâ volens manu consciscere.*

Ingens indignatio animo oboritur.] Cicero. *Peripatetici Oratorem non modo accusantem, sed ne defendentem quidem probant sine aculeis iracundiæ*, Sanius autem Fabij consilium. *Reus debebit esse in defensione moderatus*, &c. Lib.7. cap.4.

Sine cludine saltas.] Multa, sed vana & aliena Bapt Pius. Pag. 88.
Annot. poster. cap. 197. Casaub. *clunaculo* legebat: Coluius *ludione*; ferè nemo ex interpretibus non heic aliquid commentus est. τὸ *cludine* (quæ vt vulgaria, sic vera lectio) retinendum Lipsius monuit, Libro *Elect.* 1. cap. 28. explanauit autem Marcil. ad Pers. Sat.v.

Contrascribente.] Non habeat locum *Conscribente*, quod Vrsino placuit. *Contrascribere* est quod Græcis ἀντιγράφειν, h. e. γράφειν τὸ ἴσον. sic *contralegere* dicebantur qui Manuscriptos codices corrigentibus adstabant, eademque ex aliis exemplaribus prælegebant. Nota vetus in Cod. Parmensi Marciani Capellæ. *Felix Rhetor emendabam, contralegente Deuterio scholastico meo* &c. integram in *Febr*uis adfert Grotius præstantissimus.

Quod si animo etiam ita putau[*it*].] Loquutio iis inconspecta qui *omninò* legebant: Ennius.

Quid ego hæc animo lamentor?

Sed inquieti animi fuit.] *Ἀνάτασις, quam subsequitur ἀπόκρισις, concedo interim.*

Pag. 89. *Si quidem id foris scripsit* &c.] *Foris* est *alijs*, vt in Antithesi Terentiana,

——— Flagitium est te alijs consilium dare,
Foris sapere, tibi non posse auxiliarier.

at ego *fors* fero, quod in quibusd. est.

Dicendo tacere se, non tacet.] Plautus Pseud.

At taceas malo multò quàm tacere te dicas.

Insania scire se non potest.] Plutarch. πότερον τὰ τῆς ψυχῆς &c. Τῶν περὶ τὸ σῶμα νοσημάτων ἐρρωμένος ὁ λογισμὸς αἰσθάνεται, τοῖς δὲ τῆς ψυχῆς συννοσῶν αὐτὸς οὐκ ἔχει κρίσιν ἐν οἷς πάσχει, πάσχει γὰρ ὁ κρίνει. καὶ δεῖ τῶν ψυχικῶν πρῶτον καὶ μέγιστον ἀριθμεῖν τὴν ἄνοιαν, δι' ἧς ἀνήκεστος ἡ κακία τοῖς πολλοῖς συνοικεῖ, καὶ συγκαταβιοῖ, καὶ συναποθνήσκει: ἀρχὴ γὰρ ἀπαλλαγῆς νόσου μὲν αἴσθησις εἰς χρείαν ἄγουσα τοῦ βοηθοῦντος τὸ πάσχον: ὁ δὲ ἀπιστίᾳ τοῦ νοσεῖν οὐκ εἰδὼς ὧν δεῖται, κἂν παρῇ τὸ θεραπεῦον, ἀρνεῖται.

Pag. 90. *Accipe tu & lege, vsque dum ego interloquar. Littera Pudentillæ. Sustine paulisper quæ sequuntur, nam ad diuerticulum rei ventum est.*] Mirum mihi infirmitatem huius loci needùm vlli perceptam fuisse. aio ego luxationem subesse quæ sententiam ineptissimam reddit. Emendo, *Accipe tu & lege. Litera Pudentillæ. Substine paulisper quæ sequuntur, vsque dùm ego interloquar: nam a. d. r. u. e.* Nemo paulò sanior (opinor) contrahiscere volet.

Quæ similiter pro me scripta in memet ipsum vertit cornua.] Infrà. *Quæ defensio fuerat, eadem manentibus ijsdem literis in accusationem transuerteretur.* Iterum. *Quæ purgandi mei gratiâ scripta erant, eadem mihi immanem inuidiam apud imperitos conciuere.*

Vertit cornua.] ita Plaut. *Pseud.* Græci ἐν αἰτίᾳ ποιεῖσθαι.

Multa fando &c.] Ex illis Cicer. 4. Philipp. *Multa memini, multa audiui, multa legi: nihil ex omnium sæculorum memoria tale cognoui.*

Plura legendo didicisti, & non pauca experiundo comperisti.] Florid. 4. *Quam equidem non didici modo, verum etiam experiundo comprobaui.*

Palamedes.] Quem ego nullo iure inter impostores recensitum puto, cum ex Philostrato, alijsque constet iniustè eum morti datum. Noster ipse, *inter inclytos Archiuorum Duces falsis simulationibus, eruditione doctrinâ sue prępollens Palamedes damnatur.* Inde inter κακούργους positus ab imperitâ multitudine, ex cuius sensu certissimè heic Apuleius loquitur. *Heroic.* *Miles. x.*

Sisyphus.] V. Schol. Aristoph. *Acharn.*

Eurybates.] Harpocration. Aristænet. I. 20. Eustath. ad *Odyss.* T.

Phrynondas.] Ἀθηναίοις παρειβόντος ἐπὶ πονηρίᾳ οὐδὲν ἧττον Εὐρυβάτου. ita Harpocrat. Hesychius. Φρυνώνδας, πονηρούς. Diogenianus Cent. 8. Num. 29. Τοῦ Φρυνώνδου πάλαισμα. scribend. puto Φρυνώνδου.

Macci.] Legebat Cælius Rhodiginus *Masthle. Lection. Antiqu.* L. xI. cap. 7. Doctissimus Cressolius *Mattici* scribendum censuit. *Matticos* (qui & *Orici* dicti) vocat *rictu grandi, & patenti ore homines.* Esto, quid interim hoc ad mentem Apuleij? memorat is dolo nobiles, veteratores famosos: poscit sententia itaque vt his *fatuos* opponat; quod etiam fecit sanè, voce non inconcinnâ vsus, & quam qui probè intellexerit intactam mittet. Helladius apud Photium Cod. 279. Τὸ μακκοᾶν ἀρχαϊκῶς ἐστὶ τὸ μὴ ἀκούειν, ἢ τὸ μὴ νοεῖν, ὅ ἐστι νόσῳ. V. Hesych. verbo Μακκοᾶν. Schol Aristoph. *Equit.* Iul. Pollucem 2. 2. *Vacat. Autum. 27.*

Buccones.] Glos. Isid. *Bucco, rusticus, stultus.* Idem Hesych. Βέκος ναιόντος.

Καὶ ἐρῶ, καὶ ἐλθέτω.] Casaub. Ναὶ ἐρῶ, καὶ ἔλθετε.

Hæc ipsa verba Ruffinus, quæ Græcè interposui, sola excerpta &c.] Lectio corrupta. tu hoc modo inuerte, *H. i. v. quæ Græcè interposui, Ruffinus sola excerpta* &c. sed nec sic locum penitùs restitutum puto. credo Apuleium scripsisse, *Hæc ipsa verba Ruffinus sola excerpta* &c. & quæ in medio vides Glossematium esse. Pag. 91.

Per forum ductans.] Miles. 3. *Circumductus angulatim forum.* Et 2. *Pompa funeris publici ductabatur per forum.*

Turbabat.] Οὐδετέρως, ſic ſæpè Tacitus : & ita Græci ponunt ταράσσειν ſuum.

In medio foro bacchabundus.] Lucian. Εκώμαζε διὰ τῆς ἀγορᾶς μέσης. Iulianus. Παραφρονήσας ὥσπερ οἱ θεόληπτοι, δημοσίᾳ βοᾶν ἤρξατο κατὰ τὴν ἀγοράν. Nicet in Andron. Comneno. Διὰ τῆς Λεωφόρου μέσης, καὶ τῆς ἀγορᾶς διιὼν, καὶ πᾶσι διαμαρτυρόμενος φθεγγόμενος. Minuc. Octau. *Hi ſunt & furentes quos in publicum videtis excurrere* &c. *ſic inſaniunt, ſic bacchantur, ſic rotantur*: &c. Miles. 8. Noſter. *Amens & vecordiâ percita, curſuque bacchata furibundo, per plateas populoſas* &c. *fertur.* Infrà heic, *Totum forum tumultu compleſſent.*

Lib. x. Lib. 2. *Proquiritabat.*] Sic in Mileſiis expreſſit. *Magnoque fidem eius proteſtata clamore, & populi concitato tumultu.* Iterum, *Vos in hanc rem boni Quirites teſtimonium perhibetote. Proquiritare* ergo eſt βοᾶν, διαμαρτύρεσθαι. Demoſthenes. Διαμαρτύρου βοῶν, καὶ κεκραγώς. Gloſſæ Iſidori. *Quiritare, Populare.*

Qui pro me ferret.] Magna de voce vltimâ controuerſia eſt. Legit hic *foret*: ille *faceret*, alij *eſſet*, & *ſtaret*. Doctior his omnibus, & in Apuleio tritior, Caſaubonus: *ferret* pro *referret*. In de dogm : Plat. *Nec omnia ad Fati ſortem arbitratur eſſe ferenda.*

Multa ſunt quæ ſola prolata, calumniæ poſſint videri obnoxia.] Geta Terentianus Phorm. 4.4.

——— *Nihil eſt Antipho.*
Quin malè narrando poſſit deprauarier:
Tu id quod boni eſt excerpis, dicis quod mali eſt.

Suprà heic. *Nihil in rebus omnibus tam innoxium dices, quin id poſſit aliquid aliquà obeſſe: nec tam latum quin poſſit ad triſtitudinem intelligi.* Video in Gloſsis Iſidori, *Subſicinus, malus interpres.* ſi maior menda non ſubeſt, ſcripſerim *ſubſecinus*: nempe *qui excerpendo & quaſi ſubſecando benè dicta deprauat.* puto vix commodiùs exponi eam vocem poſſe.

Si ea quæ ex prioribus nexa ſunt, principio ſui defrauden-

tur.] Demosthenes. Νόμους τοὺς μὲν μεταποιεῖν, τῶν δ' ἀφαιρεῖν μέρη, τοὺς δ' ὅλους δίκαιον ἦν ἀναγινώσκεσθαι. V. heic Gentilis Notas.

Ita vt partim vocales.] Locus apertior quàm qui interpretationis egeat.

Recognosce an & hæc mecum testatò descripseris.] Legebam, *Recognosce mecum an* &c. Suprà. *Quæ tu mecum Maxime recognosce* & in Floridis 3. *Vos ea mecum recognoscite*: aliud iam velle Apuleium video. *mecum descripseris* dixit, quia etiam Æmilianus adfuit. Suprà. *Quas literas è Tabulario publico, præsente & contrascribente Æmiliano, testatò descripsimus.* Pag. 92.

Si verba, ita vt Poëtæ aiunt, pinnis apta vulgò volarent.] Florid. 1. *Verbaque quæ volantia Poëtæ appellant.* ἔπεα πτερόεντα.

Pinnis apta &c. *volarent.*] In de Deo Socrat. *In fornacibus flagrantibus quædam propria animalia pennulis apta volitare.*

Vulgò volarent.] Non capio, nisi τὸ *vulgò* valeat *passim, quoquouersus*. ad sensum optimè, ni remotè aliquantulum, posses *verè* legere. an forsan proba vox altera, at loco mota? legendumque, *Si verba, ita vt vulgò Poëtæ a. p. a. v.*

Patent artes tuæ Ruffine, fraudes hiant.] Plautus Capteiu.

Operta quæ fuere aperta sunt, patent præstigiæ.

Detectum mendacium est, veritas olim interuersa, nunc se effert.] Cicero pro Cluent. *Improbitate depressâ veritas emergit, & innocentiæ defensio interclusa respirat.* Phœbadius. *Vt malum quod sub opinione verborum simplicium latet, deprehendatur: & mendacio detecto, veritas interclusa respiret.* Optat. Mileuit. *Iamdudùm* &c. *inter caligines quas Liuor & inuidia exhalauerat, latere veritas videbatur, sed iam* &c. *reuelata est.* Suauiter autem an appositè magis Polybius, Scriptor grauissimus? Καί μοι δοκεῖ μεγίστην θεὸν τοῖς ἀνθρώποις ἡ φύσις ἀποδεῖξαι τὴν ἀλήθειαν, καὶ μεγίστην αὐτῇ προσθεῖναι δύναμιν. πάντων γὰρ αὐτὴν καταγωνιζομένων, ἐνίοτε καὶ πασῶν τῶν πιθανοτήτων μετὰ τοῦ ψεύδους

Contr. Arrian.

Contr. Donat. L. 1.

Eclog. L. 14.

καταλαμβάνων, οὐκ οἶδ' ὅπως αὐτὴ δι' αὐτῆς εἰς τὰς φυλὰς εἰσδύεται τῶν ἀνθρώπων, καὶ ποτὲ δὲ πολλῷ χρόνῳ ἐπισκοτισθεῖσα, τέλος αὐτὴ δι' αὐτῆς ἐπικρατεῖ, καὶ καταγωνίζεται τὸ ψεῦδος.

Pag. 93. *Velut alto Barathro &c. emergit.*] Virgil.

—— *Imo se emergere hiatu.*

Obcantata] Iul. Paul. *Sentent.* L. v. *Qui sacra impia nocturnave, vt quem obcantarent, interficerent, obligarent* &c.

Nubendi seu rationem, seu necessitatem, Fato ascribit.] Cui omnes plerosque etiam malæ mentis impetus Maiorum cæca scripsit ignorantia. Panægyrist. ad Constantin. *Vsurpabo illa communia omnium factorum patrocinia, quæ tamen plerumque etiam à sapientibus adferuntur, neminem hominem peccare nisi Fato, & ipsa scelera mortalium actus esse Fortunæ.* Specimen è veteri lapide non importunum cape,

D. M.
L. AEMILII VICTORIS. QVI PRIDIE.
NATALEM SVVM. VICESIMVM. ET.
SECVNDVM. PRVNA. IN PENSILI.
POSITA. VRGVENTE. FATO.
SANVM IPSE. NECAVIT. SE. &c.

cum autem in aliis plurimis quæsitum hoc patrocinij videamus, tum præcipuè in Amoribus, & inconcessis cupidinibus. Libanius *Progymnas. contr. homicid.* Κάλλους τις ἡττηθεὶς ἀδικεῖ μὲν, ἀλλ' ἔχει συγγνώμην, ἐβιάσθη γὰρ ὑπὸ τοῦ θεοῦ· καὶ παρὰ τὸν Ἔρωτα δυναστείαν αἰταίρειν οὐκ εὔπορον. Plautus Aulul.

Deus mihi impulsor fuit, is me ad eam illexit.

Pater filium præ amore decumbentem excusabundus apud Lucianum. οὐκ ἐθέλων ταύτῃ τῇ συμφορῇ ἔχετο, ἀλλ' οἱ ἡ νοῦσος ἀεκουσίη. Miles x. Noster. *Mulier seu naturaliter impudica, seu fato ad extremum flagitium impulsa.* Plura non congero, occupauit omnem heic diligentiam Cl. Desid. Heraldus ad *Tertulliani Apologiam.*

De Dea Syria.

Fatum res casusque veluti violentissimus Torrens, neque retineri potest, neque impelli.] Mendum in voce vltima est quod Periodum corrumpit. *Fatum* enim veluti *tor-*

rens si sponte *currat*, quid *impulsu* opus? lego *repelli*, h. e. *retrò cogi.* discrimen τοῦ *retinere* & *repelle* non vidit vel qui locum Senecæ adduxit, cum tamen hoc ipsum clarè eius verba sonent. *Quemadmodum* (inquit) *rapidorum aquis torrentium in se non recurrit, nec moratur quidem, quia priorem superueniens præcipitat, sic ordinem rerum Fati æterna series rotat &c.* Quod Seneca *Morari* & *Recurrere*, Noster *Retinere* & *repellere* vocat: pari, imò geminâ germanâ elegantiâ.

Præcipitasti.] Vim huius verbi Gentilis non assequutus videtur. *Præcipitare*, est *prævenire*, *præcipere*, *præoccupare.* Miles. 9. *Præcipitante consilium periculi præsentiâ.*

Subneruasti.] Vet. Onomast. *Subneruo*, ὑπονευρίζω. Gloss. *Νευροκοπῶ*, *Subneruo.* Demosth. ὑποτέμνειν τὰ νεῦρα. Festus *suppernare.* Noster in Miles. *Poplites eneruare.*

Hoccine verum? &c.] h. e. *æquum.* Cicero pro Quinct. *Continuóne verum fuit postulare, vt ex Edicto bona possidere liceret?* Idem pro Rosc. *Verissimum & sapientissimum Iudicem.* Priscianus Lib. 17. *Iustum pro verò, & verum pro iusto frequenter, tàm nos quàm Attici ponimus.* est ergo propriè Atticum loquendi genus.

Hoc non dico pium, sed saltem humanum.] Miles. 10. *Istud neque æquum, ac ne humanum.*

Ante has Imperatoris Pij statuas.] Fuit nempe quùm animaduerteretur seuerè in quæuis facta dictuuè turpia, si vel meræ Imperatorum statuæ in conspectu essent. Primam tam insani cultus ἐπίδειξιν video Augusti simulachris exhibitam. Suetonius Tiber. *Statuæ quidam Augusti caput dempserat vt alterius imponeret; acta res in Senatu, & quia ambigebatur, per tormenta quæsita est. Damnato reo, paullatim hoc genus calumniæ eò processit, vt hæc quoque capitalia essent, circa Augusti simulacrum seruum cecidisse: vestimenta mutasse: nummo vel annulo effigiem impressam latrinæ aut lupanari intulisse. &c.* Ridiculas ineptias! nàm quę ad Epictetum Arrianus, Ἀγάλματος τοῦ θεοῦ παρόντος οὐκ ἂν τολμήσαις τι τούτων ποιεῖν ὧν ποιεῖς, vtcunque pro temporum cæcitate tolerabilia erant.

Pag. 94.

Dissert. 2. 8.

Exacerbescat?] Aldi editio, *Exardescat*. Fuluij Liber, *Excandescat*. Ego nil mutem. Onomast. vet. *Exacerbesco*. πικραίνομαι.

Tunc vltro &c.] Lectio ad imas ceras eradenda, Scribe, *vltime*: quod qui Genium & voces Authoris nouit, lubens amplectetur.

Suspiritus.] Fallit Gentilis heic & alibi *suspiratus* legens, V. quæ Coluius notat ad Miles. 1.

Amorem reuincis?] Tu (inquit) filius matris amorem arguis? alibi è conuerso; *Mater autem Tu, & prætereà cordata mulier, filij tui lusus explorabis curiosè? & in eo luxuriem culpabis? amores reuinces?*

Miles. 5.

Ne mater tua amatrix.] Ita hæc cudi voluimus, præeunte Casaubono; Libri anteriorum editionum, *Ne mater tua non dico amatrix* &c.

O infelix vterum tuum!] Tacit. Annal. 2. *Infelix fecunditas*. Sidonius. 2. 8. *Fecunditas infortunata*. Cicero Philipp. 2. *Fecunditatem calamitosam!*

O ingrati &c. *anni*.] Vt Infrà *ingratum beneficium*; & in de Deo Socrat. *ingrata auguria*. nempè *quibus nulla gratia rependitur*.

At tibi acerbiores morsus &c.] Valde similia hæc sunt e Niceta. Οἵας μοι τὰς ὀδύνας οἱ σφαγεῖς ἐχάλκευον τοῦ υἱοῦ, δριμυτέρας δήπουθεν ὧν ἐξ ... τῷ τίκτειν ὠδίνων πεπείραμαι, ὅτι καὶ τρεῖς φῶς αἱ μὲν κατήπειγον τοχυφρουρούμενον, αἱ δὲ ἐξ ᾅδου κευθμώνων διὰ μέσου μου τῶν σπλάγχνων χωροῦσαι λυπεῖν ἀθάνατα ἔμελλεν. Εκφώνησις est Irenes Imperat. matris, in in *Ioan. Comneno*.

Viuenti & videnti. Homer.

— — Ζώοντος, καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο.

vertit Priscianus. *Viuo, & in terra videndo*.

Viscera intima protrahuntur.] Miles. 6. *Canes & vultures intima protrahent viscera*. Eustath. Ἐρωτικῶν Scriptor, Lib. 6. Τὴν ἐμὴν ὅλην γαστέρα παντελῶς κατωρώρυχε, καὶ τὰ σπλάγχνα κατεδηδόκει μου. Ouidius.

Viscera nostra, tua dilacerantur opes.

Hascine

Hascinè gratias? &c.] Flaccus Argonaut. 7.

Hascinè nunc grates? hæc expectata laborum
Dona dari meruit? ———

Ob quatuordecim annorum longas alimonias.] Nam & liberi parentibus educationis velut præmia quædam pendebant, lege (si memini) Solonis apud Laertium. Hesiod. Ἐργ. α.

Γηράντεσσι τοκεῦσιν ἀποθρεπτήρια δοίεν.

vbi Tretzes. Οἱ παλαιοὶ τοῖς γονεῦσιν ἐδίδουν τὰ θρέπτρα. Etiam apud Hebræos video moris fuisse. V. Theophilact. ad Euang. Matth. cap. 15. comm. 5.

Vt si compertum habeas.] Vitam sententiæ afferes legendo, *vt quasi c. h.*

Filios tibi similes futuros.] Libri nonnulli *æmulos futuros*. probo nullatenùs. Suprà, *Vxor lupa, filij similes prorsus.*

Viridi pueritia.] Sauar. ad Sidon. Lib. 7. Epist. 6. Pag. 95.

Nondum pæne.] Quia nondùm in viros relatus. hinc de Triumuiris Dio proscriptione grassante: Παιδίσκον τινὰ εἰς ἐφήβους εἰσήγαγον, ἵν' ὡς εἰς ἄνδρας ἤδη τελῶν ἀποθάνῃ. Similis relligio circa virgines capitis damnatas, quas priusquàm morti traderentur, corruptas legimus. Tacit. Annal. 5. Sueton. Tiber.

Impetibili.] *Turpi*, vt ex Symmacho notat Casaubonus. Idem Lib. 2. Epist. 91. *Graue hoc & impetibile.* Glossæ vett. Iureto ad eum locum laudatæ: *Impetibile, improbum, scæuum.* Ego tamen aliquando putabam pro *Impetuoso* positum, tralatione nimis obuiâ, quæ sceleribus violentiam tribuit. Nemo terminationem passiuam vt turbantem oggerat; mille talia apud alios Scriptores, ne Authorem nostrum.

Athenienses quidem &c.] Plutarch. πολιτ. παραγγ. Οἱ Ἀθηναῖοι Φιλίππου γραμματοφόρους λαβόντες ἐπιστολὴν ἐπιγεγραμμένην Ὀλυμπιάδι κομίζοντας, οὐκ ἔλυσαν, οὐδὲ ἀπεκάλυψαν ἀνδρὸς ἀποδήμου πρὸς γυναῖκα φιλοφροσύνην. Eadem Helladius narrat apud Photium. nec aliena de Cæsare Plinius 7.25.

Maritale secretum.] Hellad. Ομιλίαι ἀπόρρητον.

Præferendum rati fas commune propriæ vltioni.] Idem, Τὸ πρὸς εὔκλειαν φέρον, τοῦ λυσιτελοῦντος οὐκ ἔθεντο δεύτερον. huius loci est etiam insigne illud in eodem Populo temperantiæ specimen, quùm Themistocles de iniiciendis in naualia inimica ignibus consilium promeret. Iulian. Orat. ad hunc Pop. Senatumque.

Non auderes.] Ex vet. Cod. VVovver. *non abnueres.* quod etsi γνήσιον non duxerim, melius vulgato putem. sed & periodus hæc corruptior quàm quæ facilè emendari queat.

Pag. 96. *Scilicet ne semel peccasses.*] Suprà. *Peccatum semel vt bonus quisque posteà sollicitiùs cauet, ita qui ingenio malo est, confidentiùs integrat.*

Ac tam bonum factum suum obliuio capesseret.] Salust. in Catil. *Parùm est quòd impunè fecisti, verumetiam commemorando exprobras, neque licet obliuisci.*

Obliuio capesseret.] Scribebatur *obtuto*: inde Coluius, *actutùm*: lectio quam posuimus sagacis Casauboni est.

Vulpionem] De *vulpe* & *vulpiculâ* inter conuitia, V. *Leg. Salica Lib.* Tit.32. & ibid. Glossatorem. at *vulpio* μονήρης λέξις est, neque alibi lectitata.

In animum inducere.] Gellius de Æsopo Lib.2. cap.29. *Res salubriter ac prospicienter animaduersas, in mentes animosque hominum cum audiendi quâdam illecebrâ induit.* legebam, *induxit.*

Vt arbitretur literas pueri, & eiusdem accusatoris mei obfuturas.] Suprà. *Cuius pueritia etsi nihil ad relligionem* (Iudicum) *suffragaretur, tamen accusatio fidem derogaret.*

Quâ autem viâ ad istos peruenit Epistola ad Pudentillam? scilicet p. a. f. m.] Locum impediunt voces eæ *ad istos.* sensus apertior erit si sic scripseris, *Quâ autem viâ peruenit E. a. P.* &c.

Per aliquem fidelem missa.] Aptè, & ex solenni ritu loquendi. Cicero Famil. Lib.4. *Si quem tuorum fidelium voles, ad me mittes.* Salust. Iugurth. *Literas ad eum per homines fideles mittit.* Lucanus.

Atque hæc dicta monet famulos perferre fideles.

Lampridius in Seuero, *De omnibus hominibus per homines fideles suos semper quæsiuit.* Miles. x. Noster. *Mittit quendam seruulum sibi quidem fidelem.* Glossæ. *Fidelis*, πιστὸς δοῦλος.

Tabernarijs blanditijs subagitarem.] Prorsus vt apud Comicum Græc. *in Equit.* Ὑπογλυκαίνων ῥηματίοις μαγειρικοῖς.

Subagitarem.] Plaut. Capteiu.

Ad mores pudicos facta hæc fabella est,
Neque in hac subagitationes sunt, neque vlla amatio.

Idem Cistell. *Subagito blandis & benedicis dictis.* sic Græci ὑπάγειν. Etymologus. Ὑπάγω, ἐξαπατῶ: καὶ ὑπαγωγαί, αἱ ἀπάται. *sermonum illicia* nempe, vel *delinimenta.*

Aptiùs commendauit] Lips. *Apertiùs commentauit*, quod non improbo.

Dissimulamenti gratiâ.] Florid. 1. *Musæ cum Mineruâ dissimulamenti gratiâ iudices adsistere.* neque debuit Gentilis hærere in tam obuiâ loquendi formâ.

Secùs agentem.] Hæc est recepta Librorum lectio, quæ Pag. 97.
nullatenùs constabit tamen, ni subaudias, *quàm par erat*, aut quid simile. at cur ambages sectandæ compendio prompto? dico scripsisse Apuleium *sequius*. Miles. 8. *Nec aliquid sequius suspicatus.* 10. *Nihil tunc etiam sequius suspicatus.* Et 11. *De fide eorum opinari captabam sequius.* Varro Tanaq. *Non modo* &c *quidquam de te sequius cogitabit, sed etiam ruminabitur humanitatem.* Liuius 2. *Inuitus quod sequius sit, de meis ciuibus loquor.* Sueton. Tiber. *Multa etiam sequius admissa in Rempublicam extant.* Gloss. Philox. *Sequius*, χεῖρον.

Rationibus villicorum,] Symmach. L. 6. Epist. 81. *Exasperat animum malè gesta ratio villicorum.*

Sportulas.] Δῶρα γαμήλια; Theophilacto Simocattæ Histor. Mauric. Lib. 1. cap. 10. Ammian. Marcellin. Lib. 14. *Quidam vigore artuum imminuto, rogati ad nuptias, ubi aurum dextris manibus cauatis offertur, impigrè vel vs-*

que Spoletium pergunt. V. quæ è Symmacho affert P. Coluius.

Expunxisset.] Petita vox à Libris rationum. V. Casaub. ad *Pers.* Sat. 2.

Et hic puerulus togâ inuolueretur.] Plinius (Scipioni notatus) Lib. 10. Epist. 117. *Qui virilem togam sumunt* &c. *solent totam* βουλὴν, *atque etiam è plebe non exiguum numerum vocare, binosque denarios vel singulos dare.* Paria Cornelius *Annalium* Lib. 3. Suetonius in vit. Calig. & Neronis. Similes Athenis impensæ factæ, sumpto pallio Sophistico. Olympiodorus apud Photium Tmem. LXXX. Περὶ δὲ τὸν τρίβωνα οὐκ ἐξῆν κατ' τὰς Ἀθήνας περιβάλλεσθαι αὐτόν τινα, καὶ μάλιστα ξένον, ᾧ μὴ τῶν Σοφιστῶν γνώμη ἐπέτρεπε, καὶ οἱ κατ' τοὺς Σοφιστικοὺς νόμους τέλεται ἐβεβαίουν τὸ ἀξίωμα; ἦν δὲ τὰ τελούμενα τοιαῦτα. πρῶτον μὲν κατήγοντο ἐπὶ τὸ δημόσιον βαλανεῖον ὅσοι νεήλυδες, εἴτε μικροὶ εἴτε μεγάλοι: ἐξ ὧν καὶ οἱ πρὸς τὸν τρίβωνα ἐπιτήδειοι ἡλικίας ἤδη καιροῦ γεγονότες, οὓς εἰς μέσον ἔβαλλον οἱ κατάγοντες σχολαστικοί, εἶτα τῶν μὲν ἔμπροσθεν τρεχόντων καὶ κωλυόντων, τῶν δὲ ὠθούντων καὶ ἐπεχόντων: πάντων δὲ τῶν κωλυόντων ταῦτα βοώντων, στᾶ, στᾶ, οὐ λούει, κατακρατεῖν δῆθεν τοῦ ἀγῶνος ἐδόκουν οἱ ἀντωθοῦντες εἰς τιμὴν τοῦ καταγομένου σχολαστικοῦ, ὅστις μετὰ πολλὴν ὥραν στάσεως πολλῆς ἐπὶ τοῖς προαχθεῖσιν ἐθίμοις ῥήμασι προαγομένης, εἰσάγεται εἰς τὸν θερμὸν οἶκον, καὶ ἀπελούετο; εἶτα ἐνδυσάμενος ἐδέχετο τὴν τοῦ τρίβωνος ἐξουσίαν, καὶ αὐτόθεν μετὰ τοῦ τρίβωνος ἐκ τοῦ βαλανείου ἐντίμῳ καὶ περιδόξῳ δορυφορούμενος πομπῇ ἀπῄει, δαπάνας ἐπιγνοὺς φανερὰς εἰς τοὺς τῶν διατριβῶν προστάτας, τοὺς λεγομένους Ἀκρωμίτας. Vltima in rem tantùm, sed locum integrum adscribendum duxi, quia lepidum ob oculos morem ponit, vix alibi occurrentem.

Conniuijs multis] Auarus apud Libanium Sophist. *Declam.* 37. Ἐμοὶ οὐκ ἦν ὦ δικασταὶ γνώμη τὸ ἐξ ἀρχῆς γαμεῖν, λογιζομένῳ τὸ δαπανηρὸν τοῦ πράγματος, καὶ ὅτι πρὶν τινα λαβεῖν, ἀναλῶσαι δεῖ, παῖδας αἰτούμενον, ζεῦγος μισθούμενον, ἑστιῶντα τοὺς οἰκείους τοῖς φράτορσι τὴν γαμηλίαν εἰσάγοντα.

Nec tecum, aut apud te cœnandum.] Id enim moris fuit vt post consummatas nuptias propinqui ex vtrâque domo vicissim conuiuarentur. Plato passim 1. *de Legg.* Plutarch. *Sympos.* 4. 3. Pindarus *conuiuia* ista ἀμοιβαῖα δεῖπνα vocat. Virgil. *mutua*, 1. Georg. (forsan & Noster heic, & mendosa vulgaris lectio.) hinc apud Gellium *mutitare*, (vel vt Turnebus, *mutuitare*,) Lib. 2. cap. 24. (quo quæ sequuntur loco glossæ manifesta sunt) Dion. Chrysost. Orat. 41. Συνεστιᾶσθαι, καὶ ἀλλήλους ὑποδέχεσθαι.

Lex Iulia de maritandis ordinibus.] Mentio eius l. 1. D. *vnde vir & vxor.* Et l. 6. Cod. *de oper. libert.* Eadem & *marita lex.* Scholiast. Horat. ad *Carm. sæcul.* V. Lips. ad Tacit. *Annal.* Lib. 3. Charond. in *Catal. Legg. antiquarum.*

In solo vberi.] Quidam *vbere* ὑπαρκτικῶς. vt apud Virgil. *Vber glebæ.* Auson. *Vber agri.* Homer. οὖθαρ ἀρούρης. Ego nil muto, manifesta heic Antithesis est. Pag. 98.

Fæcundam glebam.] Glossæ Puteani MS. *Fæcundi cespites, fertiles glebæ.* Miles. 1. Noster, *Glebæ fælices.*

Vlmo maritâ.] Catullus. ——— *Vlmo coniuncta maritâ.* *vitibus nempè.* Pentadius, vet. Poëta:

Vitea musta tument vicinos iuncta per vlmos.

Alius Epigrammatarius,

Fæcunda vitis coniuges vlmos grauat.

Virgil. ——— *Vlmisque adiungere vites*

Horat. ——— *Amicta vitibus vlmo.*

Plin. Lib. 14. cap. 1. *In agro Campano populis nubunt vites, maritosque complexa, atque per ramos earum procacibus brachijs, geniculato cursu scandentes, cacumina æquant.* opponuntur *viduæ arbores*, vt iam aliis notatum.

In ipso gremio terræ Matris.] Lucretius L. 1.

In gremio matris terrai præcipitauit.

Plin. Lib. 2. cap. 63. *Sequitur Terra, cui omnium Naturæ partium eximia propter merita cognomen indidimus maternæ venerationis: sic hominum illa, vt cœlum Dei, quæ nos na-*

ſcentes excipit, natos alit, ſemelque editos ſuſtinet ſemper: nouiſsimè complexa gremio iam à reliquâ Naturâ abdicatos, tum maximè vt mater operiens &c. Inſcript. vetus,

V. F.
T. VETTIVS. T. L.
HERMES.
SEPLASIARIVS.
MATER GENVIT.
MATER RECEPIT.

Soboles herborum.] Ennod. vit. Epiphan. *Agricolarum laborioſæ ſtirpes, & duris exercitatæ ligonibus ſoboles.* Idem in Epigr. *Sylua ſobolem.*

Ille celeberrimus in Comœdijs verſus.] Quem ex loci ſententiâ liquet ad laudationem ruris pertinuiſſe: talem hunc ſuggerit è Menandro Caſaubonus.

Ἐστὶν ἀρετῆς καὶ βίου διδάσκαλος
Ἐλευθέρου, τοῖς πᾶσιν ἀνθρώποις ἀγρός.

Scipio verſiculum ipſum ab Apuleio poſitum repperiſſe putat, hunc nempe ex (Menandri æmulo,) Philemone.

Δικαιότατον κτῆμ', ἐστὶν ἀνθρώποις, ἀγρός.

Fidenter; nam & me quid prohibet ſimiles adferre? duntaxat cum in hanc mentem tot vbique γνῶμαι occurrant. Eſt tamē quod ignoſcatur ijs, quibus heic omnia interciderant prorſus. nobis non eadem excogitandi venia, nam & veſtigia vereris ſcripturæ ſupereſſe ſcimus, eaque etſi lacera & deformata, qualiacunque tandem ob oculos habemus.

ΠωαωΝCπαροΓοHI HICIONe HICNOpeI,

Ita ea Elmenhorſtius exhibuit e MS. Codice Florentino; Ego eius fide tranſcripta totidem apicibus reddo, & quia nil emendatum ſuccurrit, in medium relinquo.

De proximo congruit.] Miles. 2. *Sicunde liberatus de proximo ingruerit.* 4. *Certatim gladios, etiam de proximo congerunt.* & XI. *Acceſſi coram, & adoraui de proximo.* Et ita

passim loquitur Tertullianus. Symmachus tamen refert ad tempus, non ad locum. vt L. 4. Ep. 6. & L. 6. Ep. 20.

Romanorum Quinctijs & Serranis, &c. *Consulatus & Dictaturæ, in agris offerebantur.*] Plinius Lib. 18. cap. 3. *Ipsorum tunc manibus Imperatorum colebantur agri, vt fas est credere, gaudente Terrâ vomere laureato, & Triumphali Aratore; siue illi eâdem curâ semina tractabant quâ bella, eâdemque diligentiâ arua disponebant quâ castra: siue honestis manibus omnia lætiùs proueniunt, quoniam & curiosiùs fiunt. serentem inuenerunt dati honores Serranum, vnde cognomen: aranti quattuor iugera in Vaticano (quæ prata Quinctia appellantur) Cincinnato Viator attulit Dictaturam, & quidem vt traditur, pleno pulueris etiamnum ore.* Multa in hanc mentem suppetunt vndecunque, sed (Authorem sequutus meum) cohibebo me tam prolixo loco.

Natam sibi filiam cæterorum more professus est.] Inde l. *statum* Cod. *De fide instrum. Natalis professio.* Hunc morem facilè credat qui ab Antonino Philosopho inductum. Capitolinus in vitâ eius: *Inter hæc liberales caussas ita muniuit, vt primus iuberet apud Præfectos ærarij Saturni vnumquemque ciuium natos liberos profiteri* &c. Ego multò antiquiorem puto, institutumque à Seruio Tullio; ita didicisse videor ex Halicarnassæi Libro 4. Eadem hodiéque consuetudo ferè vbique viget: nec absimilem fuisse putem apud Hebræos τὴν τῶν βρεφῶν εἰς τὸ ἱερὸν εἰσαγωγὴν, cuius meminit D. Lucas. Cap. 2. *Comm.* 27.

Tabulario publico.] Malè eruditissimus Pytheus *Ærario p. Publica tabularia* vocat & vetus Inscriptio. Cicero pro Balb. & Cornel. Annal. 13. *Tabulas publicas.* Virgil. Georg. 2. *Populi tabularia.* Sueton. Calig. *Publicum instrumentum.* Et Vespas. *Instrumentum Imperij.* Noster in Floridis, *Prouinciæ instrumentum.* L. *constitutionibus.* D. *de iniur. Publica monumenta.*

Aduers. Subsic.

Partim domi adseruantur.] Patresfamilias has *Tabulas* è publicis describere solebant, eo vt videtur consilio, vt si publica vi aut igne intercciderent, haberent domi

vnde Natales asserere possent.

Lignum consideret.] Scribo cum Lipsio *Linum.* Cicero Catil.3. *Tabellas proferri iussimus, ostendimus Cethego: signum cognouimus, linum incidimus.* Paulus. L.23.D. *Qui Testam. fac. poss. Signatas Tabulas accipi oportet, & si linteo quo inuolutæ sunt, signa impressa fuerint,* &c. Nec inuoluebant tantùm, sed & perforabant. Idem *Recept. Sentent.* L.v. Tit.25. ad Leg. Cornel. Testam. *Amplissimus ordo decreuit eas Tabulas quæ publici vel priuati contractus scripturam continent, adhibitis testibus ita signari, vt in summâ marginis ad mediam partem perforatæ, triplici lino constringantur, atque impositum supra linum ceræ signa imprimantur, vt exteriores scripturæ fidem interiori seruent; aliter tabulæ prolatæ nil momenti habent.* Originem moris huius in Neronis tempora rettulerim. Suetonius. *Aduersus falsarios tùm primùm repertum, ne tabulæ nisi pertusæ, ac ter lino per foramina traiecto, obsignarentur.*

Signa quæ impressa sunt, recognoscat.] Scilicet vt ne ruptis tabulis ficta quiritaret. ita autem præfari soliti qui Epistolas, & id genus obsignata tradebant. Miles.10. *Videat, & suum sigillum recognoscat.* Cicero Catilin. 2. *Ostendi Tabellas Lentulo, & quæsiui cognosceret ne signum.* Idem ad Attic. *Statilius agnouit manum, & signum suum.* Plautus Pseud,

Cedo mihi epistolam. accipe, cognosce signum.

Idem Bacchid. *Orabat quod isthic scriptum est, fieret.*

Cedò: Sed nosce signum. Noui.

frequens olim & multiformis hac parte impostura fuit, ideò Solon neutiquàm permittendum censuit, δακτυλιογλύφοις σφραγῖδα φυλάττειν τοῦ πραθέντος δακτυλίου. Author in eius vitâ Laertius.

Pag. 99. *Decem annos Mezentius cum Vlysse errauit.*] Varro Sesqui Vlysse,

Nauibus duodecim domo profectum, decem annos solidos errasse.

apud Plautum *Viginti* lego; ita enim in fragmentis eius.

Vlyssem audiui fuisse ærumnosissimum,

Qui

Qui annis viginti errans à patriâ abfuit.

Sesquialtera.] Glossæ, *Sesquialtera*, Ἡμιόλια. Fit proportio ea, ὅταν ὁ μείζων ἀριθμὸς ἔχῃ ὅλον τὸν ἐλάττονα, καὶ τὸ τοῦ ἐλάττονος ἥμισυ. Verba sunt Nicephoræ ad Synes. περὶ ἐνυπν. V. Scalig. ad Aristot. *de animal.* Lib. 9. cap. 408.

Respondeant Æmilianus & Ruffinus ob quod emolumentum. &c.] Apollonius apud Philostrat. Δεῖνα πεπράχθαι τέ μοι καὶ βεβουλεῦσθαι φήσας, οὐδ' ὁπόσου ἐπανουργησάμην ταῦτα εἴρηκεν, οὐδ' ὅ τι ἐνθυμηθεὶς κέρδος.

Hoc vno se abundè defendisse, vitam suam procul ab eiusmodi criminibus abhorrere.] Sacerdos apud Achill. Tat. purgaturus se. Ἐπειδὴ συνιστέμοι πόρρω τῆς τοιούτου βλασφημιῶν τὸν βίον ἔχοντι. Themist. Euphrad. Orat. 4. Κυριώτατον τῆς ἑαυτοῦ καὶ ἔργων καὶ παθημάτων, ὁ τύπος τοῦ βίου, καὶ ὁ χαρακτὴρ ὃν ὑποδύεται. Lib. 1.

Non omnia quæ fieri potuerint pro factis habenda.] Miles. 2. *Facti verisimilitudine ad criminis credulitatem impelli.* Ennodius. *Et fecisse scelus creditur, qui potuisse facere perhibetur.* Pag. 100.

Eodem ingenio ad virtutem vel ad malitiam moratus.] Iuuenalis Sat. 13. ——— *Ad mores natura recurrit*

Damnatos, fixa & mutari nescia. ———

Quanquam meritò possum dicere.] Suprà, *Quàm meritò tunc dici potuerint.*

Charinondas.] Mendosè, quod suboluit nemini tamen, Pio excepto. malè verò *Charondam reposuit*, Pythagoricum Legislatorem. Scribe *Phrynondas.* meminit etiam suprà eius.

Vel is Moses, vel Iannes,] Primus lectionem hanc asseruit Ianus Parrhasius. legebatur ineptè, *Hismoses vel Ioannes. Mosen* Ethnicis pro Mago habitum docent Strabo, Plinius, Tacitus. *Iannes* hic non aliûs est quàm quem D. Paulus memorat ad *Timoth.* Ἰαννῆς καὶ Ἰαμβρῆς ἀντέστησαν Μωϋσῇ. Ægyptios Ἱερογραμματεῖς vocat Numenius Pythagoricus. Palladius Ἀδελφοὺς δι' ὑπερβολῆς τῆς *Apud Euseb. de præpar. Euang.*

Histor. Laus. Μαγικῆς τέχνης τὰ πρῶτα ἔχοντας. neque dubitem inter alios consimiles hos in veteri Instrumento subindicatos, Exod. 7. vers. xi.

Dardanus.] Turneb. *Aduers.* 2.4. & 9.17.

Vel quicunque alius &c. *inter Magos celebratus est.*] *Lib. 1.* Arnobius. *Et si quis alius, qui principatum & nomen fertur in talibus habuisse præstigijs.*

Bibliothecis publicis.] Pollux *Onomast.* 10. 5. Ἐν δὲ τῶν κοινῶν, βιβλιοθήκαι. Videntur ex Authoris hisce in integrum restitutæ, captâ enim Carthagine eas à Romanis, Africanis Regulis donatas, constat è Plinij Histor. 18. 3.

Doctrinæ instrumentum.] *Apparatum.* Glossæ, *Instrumentum,* παντὸς πράγματος ἐφοδιασμός. Aliæ, Ἐξάρτια παντὸς πράγματος, *Instrumentum.*

Pag. 101. *Eruditionis memoriam.*] vt apud Symmach. Lib. 10. Ep. 25. *Memoria literarum.* Gellium Lib. 2. cap. 21. *Literas & memorias.* Arnob. 6. *Scripta memoralia,* adeò externa omnia quæ refouendæ *memoriæ* erant, hac voce designabant. hinc & *sepulchra, memoriæ*, vti & Græcis μνημεῖα. Varr. de L. L. 5. & ex eo D. Augustin. de *curâ mortuorum* cap. 4.

Contemnam stultis. &c.] Varro Bimargop.
——— *Stultos contemnite docti.*

Aduers. *Quid isti existiment, nauci non putabo.*] Turneb. *Naccæ n. p.* Theod. Marcil. *Nauæ naui n. p.* quasi in voce Apuleius luderet. *naua* enim apud Festum *homines non nauci.*

Not. ad Pers. *Primo dotem in congressu grandem & vberem rapuisse.*] Suprà. *Me grandem dotem mox in principio coniunctionis nostræ* &c. *extorsisse.*

Grandem & vberem.] Suprà. *Vberem & prolixam rem familiarem.* Iterum *Rem familiarem largam & vberem.*

Nil verbis opus est, cum multò disertius ipsæ Tabulæ loquantur.] Cicero in Salust. *Vbi rerum testimonia adsunt, nil verbis opus.* Idem Verr. 4. *Nil dicimus, Tabulæ sunt in medio, quæ se corruptas atque interlitas esse clamant.*

Ex suâ rapacitate de me quoque coniectauerunt.] Terent. Heautont.

——— *Illos tuo ex ingenio iudicas.* Plaut. Pers.
Tuo ex ingenio mores alienos probas.

Basil. Seleuciens. de Vitâ S. Teclæ L. 1, Καθ' ἑαυτῶν ἀεὶ χρχῶν, ϗ τὰ ἡμέτερα κρίνοντες.

Factam coniunctionem.] Ræuard. *Coniectan.* 1. 15. legit *coniectionem*: exponitque *instrumenti dotalis in Villa descriptionem*, factam sine testibus, aut alio solenni ritu. certiùs meo sensu Casaub. *coniunctionem*. Suprà. *Me grandem dotem mox in principio coniunctionis nostræ*, &c. Porrò pro *factam* fors scribendum pactam. Plaut.

Sine dote posco tuam sororem filio,
Quæ res benè vertat: habeon, pactam?

Iuuenal. ——— *Legitimis pactam iunctamque Tabellis.*
Virgil. ——— *Gremiisque abducere pactas.*

Ambitiosa mendicitatis.] Iuuenal.

——— *Heic viuimus ambitiosa*
Paupertate omnes. ——— Saluian. 7. *de Gubern.* *Quis rogo ferre possit in homine egestuoso lasciuiam? criminosior est luxuriosa paupertas, & maioris inuidia miser nugator.* Pag. 102.

Ipse egens, nudus &c.] Suprà. *Ipse egens, nudus, at ignominiâ suâ tectus.* Quintilian. *Declam.* 336. *Ego nudus, ego egenus.* Porphyrius Epigrammatarius.

Nudus, egens, Veneris naufragus in pelago.

CCCC millibus nummûm à Creditore acceptis, filiam dotauit.] Suprà, *Dos erat à Creditore omnis ad teruncium sumpta.*

At non ætate mediocri.] Nimirùm plusquàm *mediâ ætate.* ita frequenter loqui Scriptores solent. Plaut. Aulul.

Post mediam ætatem qui mediam ducit vxorem domum.

Gellius Lib. 3. cap. 4. *Non admodùm senum, sed in medio ætatis.* Miles. 5. Noster, *Virum mediæ ætatis.* Ibid. *Medium ætatis cursum*, Glossæ Μεσῆλιξ, *Mediæ ætatis.*

Multis sæpe, & ingētibus dotibus spretis] Calpurn. Eclog. 3.

Callirrhoën spreui quamuis cum dote rogaret. Florid. 2. *Spretis iunioribus ac ditioribus procis.*

Longâ dote] Interpretes turbant heic immane quantum. Coluius legit *unctâ dote*, vt & infrà, vbi vulgò *auctâ*; Steuuech. *lautâ* scribit, alius *largâ* alius *magnâ*. dico sexcentas istiusmodi interpolationes me non vnius pendere teruncioli. refingunt, nulli corrigunt, qui tam remota oggerunt. Quid quòd & sana heic omnia, nulla moles inter tot magnos nisus tot molimina. Author *longam* dixit sequutus Græcos, qui μακρὸν, ἀντὶ τοῦ μέγα, vel πολὺ ponunt. Suidas. Μακρὰν οὐσίαν: οὕτω λέγουσι τὴν πολλὴν &c. Hermocrates ipso quod præ manibus argumento est, Οὐκ ἄν ποτε δουλεύσω προικὶ μακρᾷ. apud Philostrat. de *Vit. Sophist.* 2. Ita *breue* pro *paruo* frequenter haud obscuri Authores, etiam *paruum* pro

L.1. Fab. 15. *breui* Phædrus, sæculo & scriptione censendus.

Molli conditione.] Gellius Lib. 4. cap. 18. *Conditionibus gratiosis & mollibus.*

Virgo formosa, etsi sit oppidò pauper, abundè dotata est.] Ouidius.

——— *Dos est sua forma puellis.*

Mercator Tyrius socero inopi apud Heliodorum Lib. 5. Πέπαυσο, τούτων ὦ πάτερ. τὴν μὲν γὰρ προῖκα ἀπέχειν ἡγήσομαι, καὶ πολλὰ τάλαντα, καὶ πλοῦτον ὅλον τὴν κόρην. Terent. Adelph.

Peiore loco esse non potest quàm in hoc quo nunc sita est,
Primum indotata est, tum præterea quæ ei secunda dos
erat periit;
Pro virgine nuptum dari non potest.

Quum libuit] Scribe, *quùm libuerit.*

Virginitas quum semel accepta est, reddi nequitur.] *Virginitas corrupta restitui non potest.* l. vnic. C. *de rapt. virg.* D. Hieron. ad Eustach. *Audacter dico, cum omnia possit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam.*

Pag. 103. *Irreposcibile.*] Quodnam flagitij in hac voce vt detur-
etur? equidem non video. sanè video Sidonium non

agnouisse tantùm, sed & vsurpasse eam. Videsis Epistolam eius 15. Lib. 8. Meursius *imposcibile* legisse videtur, quod & perinde est: certum interim alterutrum scriptum ab Authore nostro; nam quod Barthius *irreposibile* ogge- *Aduers. 7.9.* rit, nempe, *quod non potest reponi*, aut ego cæcutio prorsus, aut heic ille sagaciter parùm.

Præfloratis.] Onomast. vet. *Præfloro*, ἀπανθίζω. fors προαπανθίζω. Gellius Lib. 14. cap. 2. *Futurum gaudii fructum spes tibi iam præfloraucrit.* nec sequendas editiones putem legentes *defloraucrit*; melius *effloraucrit* scribas. Puteani Gloss. MS. *Delibatio, refloratio, illibatio.* (puto *libatio*) Eædem. *Refloratio, defloratio.*

Tibi ad quæ velis, minimè docilis.] Ideò (quod subdit) non sine auctâ dote capienda. Eadem apud Macrobium mens Musici Timothei, quià discipulis alios apud Magistros exercitatis mercedem duplicem solebat imperare.

Vtramuis habeat culpam.] Mira lectionis varietas in mediâ voce, nam *habens*, & *habet*, & *habebat* vulgati præferunt. Ego haud anxiè scripserim *habebit*.

Fauissor.] Non parum sudant in hac voce Expositores nostri. Brantius, quia præcessit *concordia*, emendat, *fautor*: vt apud Valer. M. *Fautoribus concordiæ.* & Petron. *Author præsentis concordiæ.* Casaub. quasi duæ voces in vnam coaluissent, *fautor*, *suasor*. Lipsius antiquè *fauitor*, vt apud Plautum. Ego, etsi non constet mihi de Analogiâ, τὸ *fauissor* retineo. Gl. Puteani MS. *Fautor, fa......* (supple *fauitor*) *fauisor*. Gloss. Vindoc. MS. *Fauisor, fautor, aut fauens.*

Transuoraram.] Africanismus, sic *Transglutire* pro *deglutire*, Optatus Libro 1. & *transnominare* pro *denominare*, Tertullianus contra *Marcion.*

